RosDok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Meletemata De Scite Separandis Ab Allodio Rebvs Fevdalibvs

Marbvrgi: Typis Philippi Casimiri Mülleri, 1759

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1862674736

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1862674736/phys_0001
DFG

Kk — 2 (106.)

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1862674736/phys_0002
DFG

1. Estor de iure separandis ab allodio rebus feudalibus.
2. Kraus de jurisdictione in legatos statuum eorumque comites S.R.I. archimarescallo et hinc vicemarischallo in comitiis competente.
3. Streccer de exemtione bonorum ordini equestri immediato collectabilium illicita.
4. Graeven de divortio ob inimicitias graviores.
5. Zizmann de nonnullis qui a cautione pro expensis immunes sunt.
6. Thomasius prohibita alienatio bonorum hereditariorum ad mobilia est extendenda.
7. Zoller de actionibus utilibus.
8. Zoller de lege sibi dicta ad L. 22 ff de legat. 3.
9. Zoller de vitia testandi ex statuto Görlitzensi.
10. Zoller de sententia Ulpiani L. 6. §2. ff quae in fraud: credit: ejusque jure sacrario facta correctione.
11. Idem de remissione cautionis circa legata ex die relicta.
12. Idem de vero fundamento contractus chirographarii.
13. Kirsch vom Kauf der Taub und Raum gnohsraum. Von Pfandlingsbrief
14. Treiber de cautela practica: si scripsi affirmo.
15. Zintgraf. de remissione canonis in emphyteusi.
16. Siegel Selecta juris Rigensis canonicis capita.
17. Sippmann de testamento in statu naturali valido.
18. Wildvogel de volatu clericorum. ad L. 6. X. de postul: praelat.
19. Zietz de jure principis in errantes in ecclesia.
20. Ziegler de jure liberorum in bonis parentum.
21. Zilhart de pactis.
22. Zinck de amicabili compositione, de transactionibus et de differentiis quae intercedunt inter transactiones et pacta remissoria.
23. Sieber de conductore fundi spoliatore.
24. Siegel de pacto venditioni adjecto venditori post venditionem de re vendita adhuc disponere permittente.
25. Stein juris controversi theoretico practici decas.
26. Sammet varia juris civilis capita.
27. Sahme. de sepulturae denegatione.
28. Sauer de potestate patris in filiam maritatam.
29. Kaestner de fama, hujus amissione et restitutione.
30. Glassius. de eo quod justum est circa punctum honoris. (point d'honneur)
31. Seip de statu rusticorum ex medii aevi rationibus caute dijudicando.
32. a. Seelen de obligatione philosophi ad religionem.
33. a. Seelen de modis finiendi superioritatem territorialem.
34. Pries de jurisconsultis quibus reformatio religionis curae cordique fuit.
35. Seger de tutelis et curationibus.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1862674736/phys_0003
DFG

36. Sammlt exercitatio juris civilis ad Domitium Ulpianum Cap. 69. ff. pro socio.
37. Sammlt quaestiones forenses.
38. Breuning de caussa doli in transactionibus.
39. Idem de conditionibus principiis diversis.
40. Idem. de dotalitio ob secundas nuptias non cessante.
41. Idem de politia Scti Velleiani de intercessione seminarum.
42. Idem de filio juste exhaeredato connumerando in constituenda legitimae quantitate.
43. Idem de praestatione evictionis jure naturali incognita.
44. Idem de origine successionis in caussa intestati.
45. Idem de Vaderphis veterum Germanorum.
46. Idem de juramento jure gentium incognito.
47. Idem de praescriptione liberis gentibus incognita.
48. Idem Specimen interpretationis ex Herennio Modestino. Sp. 1–4.
49. Idem de praetoribus et jure honorario.
50. Beisner de polyhistoribus.
51. Zylius de praerogativis seu de jure personarum singularis.
52 Pistor de testatore testibus testamentariis incognito.
53. Bose de revocandis donationibus.
54. a Boltenstern de officio advocationis pro fisco regio in caussis ad rem venatoriam sylvaticamque Pomeraniae Sueciae et Rugiae pertinentibus.
55. Boeris de eo quod justum est circa sepulturam propriciarum.
56. Thomasius de emendatione administrationis justitiae neque facili neque impossibili, valde tamen difficili et caute instituenda.
57. Thomasius de emendandis quibusdam litium protractionibus in materia juramenti parti a parte in judicio delati hactenus receptis.

MELETEMATA
DE SCITE
SEPARANDIS
AB ALLODIO
REBVS FEVDALIBVS
QVAE
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE HEREDITARIO
ET DOMINO
DOMINO FRIDERICO
HASSIAE LANDGRAVIO RELIQVA
PRAESIDE
IOANNE GEORGIO ESTORE
SERENISSIMO HASSIAE LANDGRAVIO A CONSILIIS
IN REGIMINE SANCTIORIBVS ACADEMIAE PROCANCELLARIO
ET FROFESSORE IVRIVM PRIMARIO
PVBLICE DEFENDET
DIE SEPTEMBRIS clɔlɔccLVIIII
AVCTOR
GVILIELM. FERDIN. DE SCHIRNDING
EQVES VARISCVS.

MARBVRGI
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI
ACAD. TYP.


Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis



I PRINCIPES AC PROCERES IMPERII NOBILESQVE DIVERSI GENERIS BONA POSSIDENT.

Constat inter omnes, cum Imperii principes, proceresque, tum equestris ordinis viros, qui aut Caesari proxime aut Statibus Imperii parent, *bona* possidere, quae aut feudi *nexu* cuidam domino sunt deuincta, aut stemmatica, aut propria sunt siue allodialia, V. A. WOLRATVS BVRCHARDI, iam apud Herbornenses iurium professor, de *hereditate quadruplici*, Marburgi cIↃ IↃCCLV, 4t. Feudum Germanicum ac Slauicum denotat emolumentum omne, quod aliqua persona nobilis a domino nobilit. super. loco salarii pro seruitiis praestandis instar

fideicommissi Germanici percipit. Per stemmatica siue auita bona intelligo ea, quae a primo adquirente, hereditario familiae iure, ad proximum, e primi adquirentis propagine ortum, promanant, ill. IO. FERD. GVIL. BRANDT *de natura bonorum auitorum* §. VIIII p. 7. Allodium siue das land-erbe, est ius reale, quo res ad plenissimum vtendi effectum est nostra.

II QVID VENIAT SEPARATIONIS NOMINE HORVM BONORVM?

Prout subita rerum euenta exsistunt, incertique casus se exserunt; ita oportet nos inuestigare: quid ad feudum? quid ad genearchica bona? et denique quid sit proprietatis siue allodiale? ac, quum de illustribus est sermo: quid ad status, vt audit, hereditatem spectet, vir illustris IO. STEPHAN. PÜTTER in libello pro heredibus allodii Wurmbrandiani scripto. Quum hanc inuestigationem instituimus, in separatione rerum feudalium, stemmaticarum et allodialium versamur.

III INVESTIGAMVS SEPARATIONIS SIGNIFICATVM.

Quid autem sit separare? haut facile disces hoc ex ill. IO. MATTH. GESNERI, ROBERTIQVE STEPHANI *linguae Latinae thesauris*. BASILIVS FABER a voce *par* deducit verbum separo; MATTHIAS vero MARTINIVS a *separ*, i. e. sine pari, siue a compari seiunctum, siue quouis modo segregatum, siue ratione sit, siue mensura seiunctum. Inde τὸ *separo* oritur, separ facio, loco disiungo, animo secerno. Hinc separatum dicitur, quod est seiunctum, a materia seiunctum; vt vel non factum e materia,

materia, vel non vnitum materiei, aut organo corporeo adfixum. Quapropter dissimilia separari dicuntur. Segregamus, diuellimus, discernimus aes alienum: separantur bona: separata est caussa: separamus a familia: separantur marmora ab aedibus: separatur matrimonium: separamus vasa, teste BARNABA BRISSONIO *de V. S.* p. 1239.

IIII VARIAE SEPARATIONIS FEVDALIS SPECIES.

Separatione feudi ab allodio videmus esse opus: I quum de successione clientelari disceptant: II de separatione dispiciendum venit, quum de consolidatione feudi et voluntaria et necessaria quaestio recurrit: III separatione egemus, quando sermo est de fisco, agente de exemtione rerum feudalium ob collectarum onus: IIII euenit separatio propter debita, illustris IO. AVGVSTVS HELLFELD *de iure creditorum allodialium intuitu feudi* §. XV sq. p. 13 sq. V propter impensas in feudo pigneratitio. Quum enim anno cIↃIↃXXX Carolus et Erasmus dynastae Schenckii de Limburg reluere cuperent feudum Adelmannsfelden, in Eluangensi ditione situm Vohensteinii separationem praetexebant. Nos de separationis ea in primis specie agimus, quum post obitum vasalli heredes allodii feudique inter se dissentiunt.

V SEPARATIO VEL IN IVDICIO VEL EXTRA ILLVD SVSCIPITVR.

Bernhartus de Stammheim, vltimus suae gentis masculus, morte obita anno cIↃIↃLXII effecit, vt Christophorus dux Wirtembergicus pro allodiis, feudo, sibi

aperto, adhaerentibus, filiabus Stammheimiis et XIII nepotibus ex illis superstitibus, cuique 500 flor., remisso pariter debito mille florenorum, exsolueret, v. c. CHRISTIAN. FRIDER. SATTLERI beschreibung des herzogtums Wirtemberg p. 233 P. II.

VI INTERDVM SEPARATIONIS CONTROVERSIAM DECLINAT DOMINVS FEODI.

Fit hoc per concessionem feudi, vt filia illo vtatur ad vitae dies. Exempli loco inseruit gens Brandeckia, cui feudum Sterneck ad vitae dies retinere permisit feudi dominus, Wirtembergiae dux, SATTLER l. d. p. 244. Interdum heres allodii per nouam inuestituram separationis negotium exstinguit, prout fecit Adamus ab Ow, qui de nouo inuestiebatur feudo, paullo ante aperto, Sterneck, vna cum vicis Fürnsal, Welden, Breitenau, Büsenweiler, Geratweiler et Trollenberg, SATTLER p. 244. Quum Casimirus comes de Eberstein anno cIↃIↃcLx animam efflaret, ac dynastia Gochsheim Wirtembergico duci, nexu feudali ob defectum filiorum exstincto, fuisset aperta, dominus feudi filiam eius Albertinam Sophiam Estheram anno cIↃIↃcLxxVIIII de nouo inuestiuit, quae procuratorem, einen lehntraeger, stitit Gustauum Ferdin. de Menzingen, SATTLER p. 237. Compara etiam Ehringshusiam separationem, quam infra §. XXIIII enarraui.

VII SVSPENDITVR ALIQVANDO SEPARATIO FEVDI ET ALLODII PER VENTREM.

Hans Ludouicus comes in Gleichen die xv ian. cIↃIↃcxxxI Ordruffi ex hac luce ἄπαις migrauit. Ventrem

Ventrem se ferre, persuadebat cunctis vidua eius Erdmut Iuliana, nata comes de Hohnstein. Itaque per anni fere spatium in regionis Gleichensis templis ii, qui erant oppidis, vicis ac villis a sacris, iussi sunt Deum enixe precari, vt hora genitalis Erdmutae Iulianae sit prospera, fausta, felixque, IO. SEBAST. MÜLLER des kur-und fürstlichen hauses Sachsen annales p. 339, CASP. SAGITTARII historie der grafschaft Gleichen p. 476. Cogitabant etiam de ventre, in possessionem mittendo, de quo remedio egit BARTHOL. LEONH. SVENDENDOERFER p. 54 sq. *de actionib. successoriis feudalib.*

VIII DEFINITVR SEPARATIO FEVDI AB ALLODIO.

Dum secernimus feudum et patrimonium, quod fuit defuncti possessoris feudi et allodii, hic actus dicitur separatio feudi ab allodio. Siue separatio haec est indagatio bonorum defuncti vasalli, vt certo constet: quidnam gerat qualitatem feudalem? quidue proprium fuerit demortuo vasallo?

VIIII SVCCESSOR FEVDALIS MODO ACTOR MODO REVS. MODO VTERQVE SVNT CONVENIENS ET RECONVENIENS. MODO IMPETRANS MODO IMPETRATVS.

Nunc in hac feudali caussâ, vbi de secernendis clientelaribus bonis et allodialibus disceptatur, personam actoris I is sustinere spectatur, qui successor est feudalis, nunc II dominus feudi directus separationis iudicium intendens heredi allodiali, ob feudum apertum; nunc III actoris partes in se suscepisse conspicimus heredem allodii,

quum hoc distinguitur a feudo ac rebus auitis, vulgo stemmaticis.

X SEPARATIO NASSOICA HADAMARIA.

De medio excesserat anno cIↃIↃccxi Franciscus Alexander, princeps Nassoicus, in Hadamar, iudex Camerae Imperatoriae. Filia eius Charlotta Wilhelmina Amalia, nupta comiti de Merode, marchisio Westerloico, varia allodii iure ad se pertinentia, a feudi successoribus petebat, e. g. Seek, Obertiefenbach, praedium Dapperich, meliorationes in Ober-Hadamar 86450 flor., praedium Widbach, partem sibi donatam Cronenbergici feudi ob inualidam Eschii exspectantiam. Vide libellum, cui inscribitur: iustitia caussae Nassouicae Hadamariensis, 1736 fol.

XI ILLVSTRATVR SEPARATIONIS NEGOTIVM VISIONE TRIPLICI AB EQVESTRI GENTE BREIDENBACHIA PETITA. QVISNAM ACTOR REVSVE?

Euenit autem, praesertim quando heres allodii post obitum vasalli possessionem bonorum vasalli defuncti adprehendit, atque decretum obtinuit manutenentiae, actorem fieri successorem feudi. Quidquid inde quisque sentiat emolumenti ex iis, quae de probandi onere mox ero dicturus, patebit.

XII CONVENTIO ET RECONVENTIO IN HAC INSPECTIONE ET IN CONTROVERSIA STOCKHEIMIAE GENTIS HEREDVM ALLODIALIVM.

Conuentionis ac reconuentionis caussam hoc de argumento pertractari, ex separationis lite Breidenbachia et

Stockhemia didici. Etenim quum anno R. S. cIↃxxxxI emoreretur Caſparus de Breidenbach, gentis ſuae ſenior, Heintzii ſiue Heinrici iunioris filius et Heinrici ſenioris nepos, relictis filiabus duabus, Margareta videlicet, nupta Hartmanno Schuzbar dicto Milchling, et altera, quam duxerat in matrimonium Hermannus Schenck de Schweinsberg; agnatus quidam proximus Heinz de Breidenbach, de quo tamen ſilent et Humbrachtianae tabulae genealogicae p. 180 et Bidermannianae tab. XVIII der ritterſchaft in Francken ortes Rhoen und Werra, coram iudicio aulico Marburgico reas agebat filias, quas dixi, allodiales heredes, de gentis Breidenbachiae inſtrumentis, quae pater earum cuſtodiuerat, edendis.

XIII RECONVENTIO.

Reconueniebant filiae, modo dictae, ſucceſſorem feudalem de ſeparandis allodiis a feudo; prout docet ſententia die xx martii anno cIↃIↃLIII pronunciata Marburgi a curia prouinciali, quae proſtat p. 38 ſq. der ſpeciei facti in ſachen Luiſen Rau von Holzhauſen contra Geörgen Heinrich von Breidenbach, modo deſſen erben.

XIIII ALIA VISIO BREIDENBACHIANA.

E vita diſceſſerat Ioannes Alhartus de Breidenbach anno cIↃIↃcLxxxv, Neuheuſelae occumbens in praelio, coelebs. Mater eius Ioanna Eliſabeta de Ders in Viermünden, atque tres eius filiae, Catharina Agnes, nupta Io. Friderico Winter in Züſchen, Maria Dorothea, et Sophia, vxor N. de Dalwigk, heredes allodii erant. Agnati, maxime propinqui, bini fratres, Georgius Ludouicus atque Georgius Fridericus poſſeſſionem cunctorum,

rum, quae Ioannes Alhartus habuerat, adprehenderunt. Mater huius autem cum tribus filiabus regimen adibant, quod Giſae cogitur, ac petebant hereditatem filii ac fratris.

XV FORVM DELEGATORVM.

Succeſſoribus feudi hoc diſplicebat forum, rogabantque principem Eliſabetam Dorotheam, quae nomine Landgrauii Erneſti Ludouici, adhuc minoris, prouinciam Haſſiacam Darmſtadinam adminiſtrabat, vt delegaret ad quosdam, qui hunc ſeparationis laborem ſuſciperent. Annuebat petito princeps ac quemdam de Buſeck et iurium profeſſorem Fridericum Nitzſch delegatos nominauit. Coram hoc iudicio delegato ſucceſſores feudi partes impetrantium ſuſtinebant, teſte ſententia, anno cIↃIↃc LXXXVI, poſt nouemdialem cauſſae cognitionem, lata. Principi tamen factum antea retulerant delegati, qui illorum ſententiam adprobauit.

XVI SPECIES III BREIDENBACHIA.

Vitam cum morte commutauerat anno cIↃIↃcc XXII Georgius Fridericus de Breidenbach, coenobiis Haſſiacis praefectus ac tribunus militum nouemuiri Brunſuicenſis. Superſtites illi erant duae filiae, Luiſa nempe, ducta a Carolo Auguſto Rau de Holtzhauſen, et Chriſtina, nupta Ehrharto Georgio de Lütter in Loſſhauſen.

XVII TRADITIO ALLODII A PATRE VIVO.

Parens filiabus patrimonium ſuum viuus tradebat, reſeruato ſibi tantum vſufructu, ad exemplum Chriſtiani Ludouici ab Oynhauſen, toparchae Lindhemii, qui filiae

ſuae

ſuae Rebeccae Theodorae, nuptae Carolo Erneſto a Weitolthauſen, dicto Schrautenbach, ex conſilii Melchioris Detmari Grolmanni, cancellarii academiae Giſenae, viuus rerum allodialium poſſeſſionem dederat. Lege DAMIANI HARTARTI DE HATTSTEIN hoheit des Teutſchen adels t. III p. 122 adpendicis.

XVIII FILIAE B IVDICIVM MARBVRGICVM AVLICVM ADEVNT TVRBATAE POSSESSIONIS ERGO.

Filiae, quas dixi, Breidenbachiae iudicium curiae prouincialis Marburgicae aduerſus feudales ſucceſſores, poſſeſſionem turbantes, implorant ſententiamque retinendae poſſeſſionis obtinent. Succeſſores feudi iudicium hoc aulicum declinant, et heredibus allodialibus coram Giſeno regimine actionem intendunt. Illae ſe tuentur exceptione litis pendentis.

XVIIII FEVDI SVCCESSORES DECLINANT HOC IVDICIVM.

Succeſſores feudales petunt tum a Landgrauio Haſſiae Caſſellano tum a Landgrauio Haſſiae Darmſtadine, quippe quibus iudicium aulicum Marburgicum eſt commune, iudices delegatos. Negant, hoc iuris eſſe, heredes allodiales, adpellantque auguſtum tribunal Imperii, quod Wezlariae degit. Decreuit hoc, ſtatum, quo fuit poſſeſſio ante motam litem, in gratiam heredum allodialium eſſe obſeruandum; adfirmauit contra, delegatos ab vtroque principe competentes eſſe iudices. Hi igitur anno cIↃIↃccxxvi ſententiam tulerunt, a qua heredes allodii archidicaſterium Imperii ſupremum, quod Wezla-

riae cogitur, adpellauere. Sententiam perilluſtris iudicii Camerae, anno cIↃIↃccXXXIIII pronunciatam, habes t. III *obſeruat.* GEORGII MELCHIORIS DE LVDOLFF faſcic. I p. 46. Illuſtrabunt haec difficile iſtud certamen de foro competenti, coram quo, de ſeparando ab allodiis feudo, eſt diſceptandum.

XX ALIA GENTIS SPIGELIAE VISIO.

Quum anno cIↃIↃXCVII deceſſiſſet Bernhartus Spiegel, toparcha Ober-übel-Goennae, rei primo erant Fridericus et Hermannus fratres Spigelii, Klingenbergae inferioris domini, poſtea actores facti, perhibente t. III *ſymphorematis* Ludolffiani col. 559.

XXI QVAESTIO PERDIFFICILIS ACERRIMAQVE DE FORO COMPETENTI SEPARATIONIS FEVDI AB ALLODIO EXCVTITVR IN CAVSSA BREZENHEMICA.

Separatio feudi, quod Brezenheimenſis dynaſtia erat, inter Mariam Carolinam, e comitibus de Merode et Deinſe prognatam, viduam Alexandri III comitis de Vehlen, heredem, ex allodio agentem, antiſtitemque Colonienſem Clementem Auguſtum, dominum directum, et Ambroſium Fridericum Chriſtianum Adelbertum comitem de Virmund, feudi ſucceſſorem, reos, anno cIↃ IↃccXXXX agitata, litem excitauit partim de vſu iudicii auſtraegalis, partim de foro curiae clientelaris Colonienſis. Interea ſupremum Imperii tribunal, quod Wezlariae verſatur, anno cIↃIↃccXXXX iudicauit, hanc cauſſam ad ſe cognoſcendam, ſpectare, perhibente τῷ πάνυ IO. VLRICO L. B. DE CRAMER *obſ.* CCCXLIII p. 850.

Adi

Adi etiam P. VIII der ſtaats vnd reiſe-geographie p. 499, cuius operis moderator eſt ampliſſimus HEYMANNVS, regi Poloniarum ab epiſtolis ſanctioribus.

XXII ALIA CAVSSA SEPARATIONIS AB IMPERII CAMERA DECISA.

Poſtquam Ioannes Bernhartus Spiegel de Deſenberg, palmitis Ober-übel-Goennae, ſiue Bühnae, vitam poſuerat anno cIↃIↃXCVII, agnati, e ramo primo exorti, Fridericus et Hermannus, vterque Spigelius, in feudo ſuccedunt. Poſſeſſorium ſummariiſſimum inter heredes allodii ac ſucceſſores feudi decidebat cancellaria Paderbornenſis anno cIↃIↃXCVIII.

XXIII NE LOCVS SIT IVRISDICTIONI CLIENTELARI CONTINENTIA CAVSSAE ISTIS TEMPORIBVS VINCIT.

Quoniam vero feuda quaedam erant Haſſiaca, alia Paderbornenſia alia Waldeckana, ac ſucceſſores feudi tum Caſſellis, tum Paderbornae tum Mengeringhuſae actiones intendere apud animos conſtituerant; heredes allodii Spiram adibant, et rogabant a perilluſtri Camera Imperii mandatum inhibitorium de non diuidenda cauſſa connexa. Quapropter feudi ſucceſſores ab incluta Imperii Camera petebant anno cIↃIↃC citationem heredum allodii, DE LVDOLFF t. III *ſymphorem.* col. 563.

XXIIII EHRINGSHAVSIANA EAQVE PERDIFFICILIS INSPECTIO SEPARATIONIS ALLODII ET FEVDI.

Ioannes Caſparus ab Ehringshauſen, eques Haſſiacus, ad exſequias principis Georgii II anno cIↃIↃCLXI

Darmstadium euocatus, ipse naturae fecit satis vitamque amisit, vltimus gentis huius Hassiacae peruetustae. Superstitem habebat sororem, Annam Elisabetam, Burgharto Guilielmo Schenckio de Schweinsberg nuptam. Separatio, si quae vmquam difficilis, haec fuit valde intricata, et inter fisci aduocatum atque illam allodii heredem ad annum vsque cIↃIↃcxcvi fuit maximo agitata motu, quo demum transactione fuit finita, et quidem auctoritate herois togati et generosissimi, Weiperti de Gemmingen, praesidis senatus sanctioris Darmstadini. Compara PRAESIDIS partem I der kleinen schriften cap. IIII §. 44 p. 60.

XXV KETTENBVRGICA VISIO.

Exstincta fuit ante lustrum huius saeculi XVIII, et quod excurrit, gens Kettenburgica Luneburgici palmitis. Successit in feudo hoc Verdensi proximus agnatus rami Megapolitani von der Kettenburg, terminauitque litem separationis multorum capitum sententia ordinis illustris ICtorum Marburgensium nomine cancellariae Cellensis. Compara de Kettenburgiis personati illius HANS HEINRICI KLÜVERS siue illustris CHRISTOPH. GEORGII IARGOW beschreibung des herzogtums Mecklenburg P. I p. 622 et MATTHIAE IOANNIS BEEHR *rerum Mecklenburgicarum* col. 1624.

XXVI INSPECTIO HOHENHORSTIANA.

Idem ordo iuridicus decidit controuersiam de separandis ab allodio feudis in caussa ab Hohenhorst contra heredes allodii Hohenhorstiani. Lege, si placet, PRAESIDIS vnterricht von abfassung der vrthel p. 389 sqq. cap. XX.

XXVII

XXVII VISIONES ET S...BERGENSIS ET WORBISIA ET SCHENCKIA.

Annus agebatur cIↃ IↃccLI, quum Ioannes Ludouicus L. B. de S., principi Campidunensi a sanctioribus consiliis, letum oppeteret, expers filiorum, relicta filia vnica prioris tori, Maria Luisa, et vidua Iuliana Sophia de L. Partim disceptabatur de arbitris familiae, et an locus sit iurisdictioni cancellariae ordinis equestris Imperii? Filiae aduersus patruum, Fridericum Bernhartum L. B. de S., ac viduae prodibant in lucem postulationes, quas suo commemoraturus ero loco. Postquam Carolus Ludouicus Schenck de Schweinsberg anno cIↃIↃccXLVI hinc abiisset in locum caelitum, itemque illum de Worbis, olim PRAESIDIS auditorem, mors esset consequuta, variae oriebantur quaestiones huius argumenti.

XXVIII LAEHRBACHIA SPECIES.

E vita cessit anno cIↃIↃccLIII optimae spei adolescens Ludouicus Carolus Eberhartus Reinhartus de Laehrbach. Heredes allodiales illi erant duae sorores. His mouetur lis a successore feudi, qui est Conradus Christophorus de Laehrbach, ordinis Teutonici eques, Franconicae prouinciae rathsgebietiger atque commendator Kapfenburgensis et supremi ordinis Teutonici magistri a consiliis secretioribus. Caussa coram supremo adpellationum tribunali disceptatur Darmstadii.

XXVIIII INSPECTIO KAMEYTSKYANA.

Quum moreretur Christianus Reinhartus de Fargel, vltimus stirpis suae mas, domus illustrissima Isenburgica lautum

lautum praedium Rückingen, vt feudum, toti genti suae apertum, feudi noui titulo largita est Christiano Eberharto de Kameytsky ab Elstibors, administro status Darmstadino. Vnus filiorum eius Ludouicus Fridericus obiit caelebs. Natu minimus Carolus Franciscus Guilielmus vitam pariter reddidit, superstite filio adolescentulo. Et hunc pariter mors eripuit Carolino Brunsuicensi 1758. Iam lis mouetur inter curiam feodalem Isenburgicam et filias Kameytskyanas, quarum vna est Sophia Friderica, vidua Ludouici Baltasaris de Weitolshausen dicti Schrautenbach, monasterii Hainensis, dum viueret, praefecti supremi, altera, Harpkae habitans, vxor est N. de Veltheim. Legas, velim, libellum: geschichts-erzaelung von der besiznehmung des dem fürst-und graeflichen hause Isenburg heimgefallenen lehn-guts Rükingen, 1758 fol. Sita est ad amnem Kintzing Rückinga, distatque ab Hanouia iter horae vnius cum dimidia.

XXX SEPARATIONES ILLVSTRES.

De separationibus feudorum Saxonicorum Isenacensium 1742, Schwartzburgicorum stirpis Sondershusanae 1740, Hanoicorum 1736, Limburgicorum Gaildorfensium 1690 in Franconia et Sueuia, et postea palmitis Speckfeldensis 1713 taceo. Illo tempore senator purpuratus in consilio Imperii erat Io. Guil. comes de Wurmbrand, qui anno cIↃIↃcc in matrimonium duxerat Iulianam Dorotheam, filiam Guilielmi Heinrici comitis de Limburg-Gaildorf, coheredem allodii. Exhausit ille cauentem iurisprudentiam ferme omnem, atque vix prostabit exemplum pro heredibus allodiorum separationis tam felicis. Compara t. III der staats-und reise-geographie p. 530

ac

ac IO. CHRIST. LÜNIGII *bibliothecam deductionum* p. 753 sq. Adde acta in controuersia Limburg contra Limburg 1700, 1712, 1714 sqq. IO. IAC. MOSERI t. III der Reichs-hofrats-conclusorum p. 509-568. De Wolfsteinensium allodiorum separatione 1732 vide t. LXI p. 631 sq. atque t. LVIIII p. 637 sqq. FABRI. Ceteras sileo.

XXXI HEINRICI LEONIS ALLODIA.

Maximi tamen momenti erat segregatio feudorum et allodiorum Heinrici Leonis, Bauariae ac Saxonum ducis, quae contigit anno CIↃLXXXII, regnante Imperatore Friderico I, consobrinum suum feudis priuante, testibus illustrissimo comite HEINRICO DE BÜNAV in dem leben und den tahten Friderichs des I Roemischen kaisers p. 277 atque splendidissimum opus, cui inscriptum: *origines Guelphicae* curante illustri CHRISTIANO LVDOVICO SCHEIDT. Principis illius patrimonia fuere I Estense siue Langobardicum, II gentis Guelficae, III familiae Billungicae, IIII gentis Supplinburgicae et Querfurtensis, V allodia Nordheimensia, VI allodia Witekindeae gentis, VII ditiones Slauicae, VIII nuptiis adquisita e. g. castrum Baden, quod permutatione, cum Friderico I inita, huic dedit pro Herzberga et Scharzfelsa curteque Poelde, t. III *originum Guelficar.* p. 466, PETRVS PLESKEN de *patrimonio Heinrici Leonis* p. 23 sqq., BVRGH. GOTTH. STRVVE *de allodiis Imperii* p. 85 sq., et IO. GEORG. SCHERZ p. 27 *iudicii Friderici I de Heinrico Leone.*

XXXII VTRVM ALLODII A FEVDO SECRETIO SIT CAVSSA FEVDALIS NEC NE DE CLIENTELARI FORO LANGOBARDICO.

Imperator Fridericus I duas decidit ſpecies II *feudor.* tit. LV §. 2 commate: praeterea cet. Vnam, quum lis inter dominum vaſallumque agitatur, et alteram, quando duo inter ſe litigant vaſalli. Vtroque caſu controuerſia pertinet ad iudicium clientelare. Tacet vero Imperator eam ſpeciem, qua vna pars litigans domino non eſt deuincta nexu beneficiario.

XXXIII INSTITVTA GERMANORVM HOC DE FORO FEVDALI.

Quae in vſibus feudorum Langobardicis proſtant, pariter commemorant et RADEVICVS *de geſtis Friderici barbaroſſae* lib. II cap. 5 et GÜNTHERVS libro VIII v. 633 *Ligurini*, et OTTO, Friſingenſis antiſtes, *de geſtis Imper. Friderici I.* Ne dicam de teſtimoniorum cumulo, e monimentis aetatis mediae hiſtoriae Auguſtae petendo, quae docent, iudicium pariüm curiae inter Germanos eſſe vetuſtiſſimum; id quod erudite, vt ſolet, docuit illuſtris GOTTFR. DANIEL HOFFMANN *de vſu hodierno iudicii pariüm curiae* §. XII, XIII. Hinc vaſallus foro feudali nequit renunciare, GEORG. AD. STRVVE *S. I. F.* cap. XVI §. 4 et 5, GVIL. HIERONYM. BRÜCKNER de *renunciatione inualida* §. 22 p. 1153 edit. Senckenbergianae de exceptionibus. Immo huius fori tantum eſt roboris, vt in priuilegiis de non euocando forum clientelare ſemper ac tacite exceptum habeatur, perill. HEINR. CHRISTIAN. L. B. DE SENCKENBERG de *euocationibus* cap. VI §. 3 p. 1143.

XXXIIII NON DABATVR IVDICII FEVDALIS SPECIES QVA SOLVS IVDICAVIT DOMINVS.

De duabus, quas dixi, feudalis iudicii speciebus vna omnium est consensio. Addit illustris IO. IAC. MASCOV *de paribus curiae* §. XV p. 24 tertium genus, quo solum iudicasse feudi dominum credit. At sicuti de re graui nullum iudicium Germanicum sine iudice et absque scabinis consistere poterat; ita iudicium clientelare sine paribus erat nullum. Persuadere quidem ICti Itali conabantur Germanis, curiae Imperatoriae iudicem, qui sapientia cunctos superaret pares curiae, optime ac recte cum adsessoribus suis terminare controuersias feudales. Germani autem his dogmatibus non credidere; donec se illis sensim superatos animaduerterent. Exercuit quidem Imperator Fridericus III adhuc anno CIↃCCCCLII inter Albertum Marchionem Brandenburgicum ac rempublicam Norimbergensem, altercantes, principum iudicium, quod testatur sententia a binis perillustribus Camerae Imperii adsessoribus IO. VLR. L. B. DE CRAMER *opusculorum* t. IIII p. 433 sqq. et IO. HEINR. HARPPRECHT P. I des staats-archivs des kais. und R. cammergerichtes p. 161-171 edita; Imp. vero Maximilianus I occasione senatus, quem Imperii regimentum vocabat, soli sibi reseruauit cognitionem de Imperii feudis; docente IO. PHIL. DATT de *pace publica* lib. III cap. XII p. 610 num. 74; ita tamen vt distinctioni locus esset inter besiz und gewehr et das recht und der eigenschaft der sache. Ecce origines tituli VII P. II der kammergerichts-ordnung! perillustris HARPPRECHT l. d. p. 91.

XXXV IVS PONTIFICALE FIRMAT GERMANORVM INSTITVTA.

Notissimum est, Germanos causſas vasallorum disceptauisse ac decidisse in iudicio feudali, testibus illustri IO. IAC. SORBERO *de comitiis veterum Germanorum* t. II P. II cap. 8 et PRAESIDE de *iurisd. curiar. clientelar.* Similes Gallorum hac in re fuere mores, teste PHIL. BRVSSEL dans *nouvel examen de l'usage general des fiefs en France pendant le XI le XII XIII et XIIII siecle* t. I. chap. 41. Adi perillustris C. G. BVDERI *opusculorum* p. 575 sq. et ill. G. D. HOFMANN. p. 18. Institerunt iisdem moribus seruandis pontifices Romani et quidem Alexander III, pontifex maximus, cui nomen erat Rolandus Bandinelli, qui sedi Romanae inde ab anno 1159 vsque ad annum 1181 praefuit, in cap. 5 X *de iudiciis*, itemque Ioannes Lotharius comes Signinus siue Innocentius III, virtute ac dominandi studio ingens pontifex ab anno 1198 - 1216, cap. 6 et 7 X de *foro comp.*, ac Clemens V siue Bertrandus Gotto, pontifex ab anno 1305 - 1314, in clem. 2 *pastoralis* X de *sent. et re iud.*, vbi Robertum Siciliae regem vasallum suum ligium esse contendit, negatque, Imperatorem eius esse iudicem competentem. Consulas, velim, CHRISTIAN. THOMASIVM de *foro competente et subiectione clericorum sub potestate ciuili* cap. III §. 17.

XXXVI QVAEVIS CAVSSA ATTINGENS VEL DOMINVM ET VASALLVM INTER SE VEL VASALLVM ET ALIVM AD CLIENTELARE IVDICIVM PERTINEBAT.

In definiendis causſis clientelaribus alia veteribus Germanis erat philosophia, quam aetati hodiernae. Illi personas

sonas respiciebant caussaeque non habebant rationem. Subiectum, vt loquuntur philosophi, non vero obiectum caussam reddebat feudalem, illustris G. D. HOFFMANN l. d. p. 36, PRAESES de *iurisd. caussar. clientelar.* p. 40 sq. Possessorium vindicabant iudicio parium curiae etiam Langobardi, quod docet tit. XXII §. 2, I feudorum.

XXXVII NOVA FACIES COMPETENTIS FORI FEVDALIS INFECTA MEDICAMINE FVRFVRIS GLOSSATORVM.

Fastidium patriorum institutorum, studium nouarum rerum et odium in id, quod vetustatem Germanicam sapiebat, in formam habitumque peregrinum mutauit, ac figuram et lineamenta plane alia dedit faciei clientelari, vt speciem suam amiserit. De iuris Romani vsu incongruo proceres regni iam querebantur penes Imperatorem Rudolphum I, edocente nos IVSTO HENNINGO BOEHMERO t. I *exercitationum* ad π. p. 975. Carolus IIII Caesar amico vtebatur Bartolo de Saxo Ferrato et Io. de Geylnhausen, rerum Romanarum studiosissimis. Compara, quae leguntur apud IO. PHIL. DATT *de pace publica* p. 583, vbi vnus legista plus commodi adferre dicitur Imperatori, quam milites Io fortissimi. Imperatoris Sigismundi administer status, quemque habebat eximium, erat Dr. Schlick. PETRVS DE ANDLO Imperatori Friderico III vsum legum Romanarum suasit, nisi vellet ruinam Imperii procurare. Maximilianus I, Imperator ab anno cIↃcccccxciii vsque ad annum cIↃIↃxviiii, amator rerum Italicarum, et Augustus I septemuir Saxo inde ab anno cIↃIↃLIII vsque

ad a. CIↃIↃLXXXVI, cultor dogmatum pragmaticorum, Italiam ſpirantium, perculſerunt et labefactauerunt forum clientelare. Factum eſt inde, vt exiguis cancellis circumſcriberetur iudicium feudale. Tres ſtatuere huic fines grandis molis: 1) vt lis ſit inter dominum feudi atque vaſallum, vel vaſallos inter ſe: 2) vt litigium verſetur de re feudali et 3) ex lege agatur clientelari, id eſt, vt qualitas feudalis ſit fundamentum agendi, e. g. ſucceſſio feudalis, ſeruitia vaſalli, felonia, cet. Cariem inde traxerunt et ius de non euocando, et primae inſtantiae et auſtraegarum. Firmamentum libertatis ſuae haec dicebant proceres Imperii, quum anno CIↃCCCCLXXXVI, Francofurti de adminiſtranda iuſtitia deliberarent, DATT l. d. p. 721, 708 et 715. Illud tueri conabantur per §. XV capitulationis Imp. Caroli V. Hic vero ſequebatur VIGLII ZVICHEMI conſilium: ſalus Imperatoriae maieſtatis pendet a legum Romanarum cuſtodia. Quapropter omni ſtudio nos oportet adſectari, vt cauſſas feodales vindicemus iudici ordinario, GOTTFR. CASPAR SEGNIZ DE SCHMALFELDEN *de allodialitate fructuum feudi et de competentia iudicis ordinarii in rebus eo pertinentibus* ſect. II §. 16 ſqq. Belle!

XXXVIII SEPARATIO ALLODII A FEVDO QVIBVSDAM PRAGMATICIS EST CAVSSA ORDINARIA HAVT FEVDALIS.

Ideo mirari non ſubit, cur inter ICtos admodum diſceptetur: num ſeparatio feudi ab allodio ad curiam clientelarem ſpectet? Compara V. C. AVGVSTVM GOTTLOB PETERMANNVM de *ſeparatione feudi et allodii petenda et perficienda* §. XVIII p. 24 et GEORG. ADAM.

ADAM. STRVVE S. I. F. cap. XVI §. 4 n. 3 in f. p. 591.

XXXVIIII AT HAEC SEPARATIO EST NEGOTIVM CLIENTELARE QVONIAM E CONTRACTV FLVIT FEVDALI.

Erratio in eo versatur, quod sibi persuadeant, quam primum persona comparet inter litigantes, quae nexu clientelari non est deuincta, locum obtinere iudicium ordinarium. Inde regulam effinxerunt: si controuersia inter vasallum atque extraneum exsistit, iurisdictio est ordinarii iudicis fundata, 10. NICOL. HERT resp. CCCCXCVI num. 10 p. 790.

XL CAVSSAE HVIVS QVALITAS FEODALIS E NEGOTII NATVRA ROMANIQVE IVRIS PRINCIPIIS ADPARET.

Fac, quaeso! adesse quemdam, adfirmantem hoc est feudale. Negat alter obtenditque, rem esse allodialem. Nonne in disceptationem venit contractus feudalis? Hunc iniuere non tantum dominus feudi ac primus adquirens; sed etiam defunctus cum domino. Obligantur defuncti heredes ex contractu, quem parens illorum cum feudi domino celebrauerat. Neque est, quod obuertas dicasque, negotium feudale esse rem, inter alios actam, quae tertium haut obliget. Verum enim vero hoc est, quod pernego. Qui aduersus me pugnat argumentis, e Romano penore desumtis, eum profecto oportet adprobare etiam hoc: pro nobis nostrisque contrahimus heredibus. Igitur vasalli vltimi gentis heredes nec sunt tertius nec extraneus. Itaque caussa adest clientelaris. De

mera fructuum separatione me haud loqui, animaduertet quilibet.

XLI ALIA RATIO PRO IVDICIO FEVDALI.

Vnus laborat de hoc extendendo; alter cogitat de illo restringendo. Ille, contractum clientelarem ad hanc rem extendendam esse, contendit. Hic vero negat, contractum hunc beneficiarium complecti hanc partem, quam ille feudalem esse adfirmat. Explicatio contractus feudalis est domini pariumque curiae beneficiariae.

Quisnam rei huius controuersae optimam habet notitiam? Dominus feudi profecto et curiae pares! Et vbi quis aliter sentire malit; rogo illum, velit considerare forum administrationis gestae. Cur sane hoc fuit introductum? quia ibi rerum gestarum optimam speramus notitiam de administratione. Aliter profecto se non habet forum clientelare. Filiae defuncti vasalli aiunt hanc rem esse allodialem. Successor feudi adfirmat contra, illam esse clientelarem. Iudex ordinarius nullam de hac re habet notitiam, neque rei controuersae est conscius. Tuto enim ignorat illud feudale negotium, quod ad illum non pertinet.

XLII FVLCIMVS IVRISDICTIONEM CLIENTELAREM HANC E CONSERVATIONE FEVDI

Vbi de conseruatione alicuius feudi est sermo, caussa vtique erit feudalis, teste illustri CHRISTOPHORO FRIDERICO GEIGERO *de amplitudine fori conuenti austraegalis S. R. I. procerum* p. 102 §. 17. Imminuere autem feudum per separationem incautam, non esset conseruatio illius. De hoc et domini iudex vicarius et curiae

curiae pares, qui adcuratam habent feudorum notitiam, optime cognoſcent, prae iudice ordinario, qui negotii huius feodalis plane rudis eſt.

XLIIII ALIVD ARGVMENTVM.

Ne dicam, heredes vaſalli defuncti e contractu feudali obligatos eſſe vi huius negotii clientelaris, ad reſtituendum id, quod ad ſucceſſorem clientelarem pertinet. Quamobrem heredes defuncti vaſalli declinare nequeunt iudicium curiae feudalis, illuſtris HELLFELD l. d. §. 36 p. 49 ſq. PRAESES §. 31 de *iurisdict. curiarum clientelarium.* Inde ſequitur, vt feudi ſucceſſor, acturus contra allodii heredes, adire debeat curiam domini feudalem. Quo enim fundamento praeterire aliquis poteſt forum contractus feudalis? quippe ex quo ius domino quaeſitum fuit enatum. Sequitur itaque ex contractus feudalis natura firmum axioma: ſeparatio feudi ab allodio ſpectat ad iudicium clientelare. Ad haec, regalis iuris ſpeciem eſſe iurisdictionem Germanicam, adeoque pariter clientelarem; de illo nullum ſupereſt dubium penes eos, qui rerum Germanicarum ſunt periti.

XLIIII EVOCATIO AD IVDICEM OMNIVM SVPERIOREM INFRINGIT IVRISDICTIONEM PROCERVM IMPERII.

Propterea non procedit *electio*, quae ratione iuris Romani eſt actoris; quum, prout dixi, iuriſdictio, tamquam iuris regalis ſpecies, non poſſit imminui in detrimentum domini clientelaris.

XLV

XLV NEC PATITVR ILLVD PRIVILEGIVM STATVVM DE NON EVOCANDO.

Immo si nondum esset in vadis iurisdictio clientelaris contra procellas quorumdam pragmaticorum; in fortissimis tamen est munimentis ob priuilegium Ordinum Imperii de non euocando. Nam bene animaduertit FRANCISC. FRIDER. L. B. AB ANDLER *iurisprud. quae publicae quae priuatae* lib. II tit. 5 num. 31 p. 358, iurisdictionem Statuum Imperii magnopere differre a iurisdictione magistratuum Romanorum, atque illos dominii et realis titulo vna cum territorio iurisdictionem obtinere.

XLVI LABEFACTANTES ET EVERTENTES IVS DE NON EVOCANDO AC PRIMAE INSTANTIAE PER CAVSSAE CONTINENTIAM.

Hoc, quod dixi §. XLV, tutam tranquillamque esse iubet iurisdictionem beneficiariam, cuius aggerem primus *rupit* IO. NIELLIVS, Vesalienſis, anno CIↃIↃ XCVII praecox ingenium et qui anno aetatis XXVI vitam tempestiue reddidit. Constituerat iste iurisdictioni clientelarium curiarum indicere bellum, atque imbellis pugnare aduersus MATTHAEVM WESENBECIVM, IO. ZANGERVM et LVDOLPHVM SCHRADERVM, iurisdictionis beneficiariae Germanicae vindices strenuos. At factum ipsum gloria et memoria priuauit disturbantem iura et Ordinum Imperii priuilegia. Quod tamen vix crederes, ista aetas peruersa produxit nouum Herostratum, incensorem eorum, quae praecipua sunt proceribus regni Germanici, puta PETRVM istum FRIDERVM, patria Mindanum; siquidem anno CIↃIↃXCVII per librum

brum *de cauſſarum continentia* mores feudales Germanicos incendio delere apud animum conſtituerat. Quamuis vero aures iſtius veritati clauſae eſſent, flexiſſetque animum a vero; Themis tamen Germanica ex iſto verum hoc exſculpſit: reſpicere nos debere, vtrum domino ex hac cauſſa, inter vaſallum et heredes defuncti agitata, damnum immineat? quo caſu curiam domini eſſe forum competens, exiſtimat. Haec mens iſtius eſſe videtur de *continentia cauſſarum* lib. III cap. III §. VIII num. 9 p. 24.

XLVII NEC FORVM OBTINET PERSONARVM MISERABILIVM.

Extremum vitae ſpiritum ediderat anno cIↃIↃCCXXXI Georgius Fridericus Auerochs de Oepfershauſen et Oberkatz, bellicus ductor Haſſiacus generalis. Feudum apertum duci Saxoniae Meiningenſi erat. Vidua eius Ioanna Maria de Streitberg quaedam allodialia eſſe contendebat. Fiſci aduocatus Meiningenſis hoc negabat illi. Idcirco vidua Wezlariam adibat, prouocans ad ſupremum Imperii tribunal. Aduocatus fiſci, quem dixi, hoc forum, inquit, exſulat clientelaribus in cauſſis. Hac nixus ratione: lex vn. C. *quando Imp. inter pupill.*, ait, non ad cauſſas priuatae iuriſdictionis, ſiue e contractu clientelari quaeſitas, i. e. feudales, ſpectat. Multo minus, inquit, hic locus eſt illi iuris beneficio propter priuilegium Ordinum Imperii de non euocando. Teſtes citebat IOAN. GOTTFRIDVM KRAVSE p. 367 §. 2 *tractationis ſynopticae proceſſus iudiciarii*, IO. FRIDER. RHETIVM in *commentar. ad ius feudale* lib. I tit. X p. 365, CHRISTIAN. THOMASIVM de *ſingulari aequitate l. vn. C. quando Imp. inter pupillos* ſect. I §. 22 p. 347 opuſculorum,

lorum, queis perill. HEINR. CHRISTIAN. L. B. DE SENCKENBERG auxit Io. Zangerum. Non attinet dicere de *litibus* inter viduam Hans Caroli comitis de Thüngen, qui anno CIↃIↃCCVIIII a vita discesserat. Heres allodii eius erat Maria Ioanna Faustia de Stromberg, quae anno CIↃIↃCCXXVIIII fato perfungebatur. In feudo succedebat agnatus Philippus Reinhartus de Thüngen in Rosbach, atque, hoc interea extremum vitae diem conficiente, eius tres filii Adamus Sigismundus, Carolus Fridericus et Philippus Christophorus Thidericus, hodie solus superstes, erant feudorum successores.

XLVIII MENS IVRIS ROMANI DE MISERABILIVM FORO.

Hoc tantum moneo, euocari olim quandoque rescripto principis litigatores solebant extra forum suum a competenti siue prouincia sua, petente altero ex litigatoribus, *iusta aliqua probabilique de caussa*, veluti propter aduersarii potentiam, quam quis perhorrescat, vel ob iudicis inimicitiam. Haec fuit vna euocationis et remissionis ratio. Altera euocationis caussa erat ad principis comitatum, praesentiam ac disceptationem, si vel pupillus, vel vidua etiam diues, vel fortunae iniuria miserabilis, i. e. morbo fatigatus atque debilis trahere cupiebat litem ad principem. Permisit hoc Imperator Constantinus I anno CCCXXXIIII in lege quadam de euocationibus caussarum et personarum, e foro ordinario, ad ipsum principem. Prostat illa lex tum in codicis Theodosiani lib. I tit. X l. 2, tum in repetitae praelectionis codice lib. III tit. 14, ibique ARNOLD. CORVINVS A BELDEREN *codicis iustin. method. enarratione* p. 105 et 10.

IAC.

IAC. WISSENBACH p. 164 sq. *commentationum in codic.*, ANTON. PEREZ *praelectionum in codicis libros*, p. 149.

Trahi autem inuitae eo non poterant personae, quas dixi, nec priuilegio quodam contra euocationes munitae, vt orientis nauicularii, sacerdotes et curiales. Hinc neque pupillus neque vidua neque miseratione dignus rescripto principis euocari poterant, ne fatigentur itineribus, nec ipsi iniuriae et potentiae suae terrorem obiiciant aduersariis. Pupilli atque viduae potentiam perhorrescere nemo potest, aliorum vterque quibat, IAC. GOTHOFREDVS *commentarior. ad cod. Theod.* t. I p. 65.

XLVIIII NEC MISERAE PERSONAE CONFESTIM ADIRE QVEVNT SVPREMA IMPERII TRIBVNALIA.

In disceptationem cecidit acerrima quaestio: num imperatorio iudicio huic extraordinario ex Ordinum Imperii prouinciis ad suprema regni Germanici tribunalia locus sit ratione personarum miserabilium? Vtriusque partis argumenta percensuit vir magni nominis IO. VLRICVS L. B. DE CRAMER P. II der Wezlarischen nebenstunden p. 184 - 197. Quum in Camerae tribunali splendidissimo caussa Spigelbergensis ex parte principis Arausionensis Nassouici, aetatis minoris, videlicet Guilielmi Caroli Heinrici Frisonis, nati anno CIↃIↃCCXI, aduersus nouemuirum Brunsuicensem Georgium II, magnae Brittanniae regem, agitaretur, pars adsessorum adfirmauit subdifficilem quaestionem, pars vero negauit, Camerae iurisdictioni locum esse. Hinc placuit anno CIↃ IↃCCXXI Moguntiaco nouemuiro epistolam perscribere,

vt significaret Caesari et Imperii conuentui vniuersali, Cameram exspectare obscurae ac periculosae quaestionis decisionem. Interea Camerae iurisdictio tamdiu cessat, quamdiu Imperator et Imperium hoc iudicium extraordinarium Camerae haut permiserunt, GE. MELCH. DE LVDOLFF auctario II *systematis cameralis*.

L. AVSTRAEGAS ARBITROSQVE IGNORAT FEVDALE FORVM SECVS SENTIENTIVM ARGVMENTA.

Qui pro arbitris admittendis pugnant, auxilium iuris Langobardici II *feudor.* tit. 15, 34, et 46 implorant, repetuntque exempla in caussa de Berbisdorf contra de Berbisdorf, cuius mentionem iniecit IO. HEINR. DE BERGER *electorum processus prouocatorii* §. 48 in f., et caussae wildfangiatus inter octouirum Palatinum et vicinos, ac controuersiae de successione Neoburgicae domus in Palatinatu, proferuntque argumenta IO. GVILIELMI ITTERI *de feudis Imperii* cap. XXV §. 23. Compara V. C. PETERMANNVM p. 22 et GOTTFRIDVM BARTH *de potestate vasallorum litigandi nec non transigendi de feudo*, et infra caussam de Berbisdorf aduersus de Berbisdorf. Addunt supereſſe Noerdlingensis pacificationis tabulas, anno cIↃcccclxvi conscriptas, quibus lites de feudis per austraegas terminandas fore verbis statuitur sat claris. Superaddo his id laudum, quod arbitri de feudis et allodiis inter fratres Randekios tulere, de his anno cIↃccc-xxxi disceptantes, quodque legitur t. III *codicis diplomatici* VALENT. FERDIN. L. B. DE GVDENVS p. 276 sq. Ad haec moneo, saeculo XVI arbitria etiam inter rusticanae gentis homines fuisse frequentissima. Vidi eius-

eiusmodi laudum inter liberos Io. Stoeckeri, rusticani Wenckenbacensis in vicinia anno cIↃIↃLXXXII scriptum.

LI CONFVTANTVR DICTA.

Morti occubuerat anno cIↃIↃLXXXVII Guilielmus de Stockheim, Wetterauus pupillus equester. Sororem reliquerat Amaliam, quae Iodoco ab Adelips nupserat. Consobrini eius Ioannes ab Hattstein et Ioannes Adolphus de Carben, itemque amita defuncti, vxor Ioannis de Bobenhausen, quam silent et BIDERMANNVS et HVMBRACHT, feuda petebant, actores et rei; siquidem conuentionis ac reconuentionis lis disceptabatur. Sibi adserebat successionem soror, rea et reconueniendo agens simul. Feuda erant partim Fuldensia, partim Hanoica, partim Isenburgica, partim Limburgica, partim Rodensteinensia. Placet actoribus reaeque via arbitrii, quod, licere partibus, responderant ICti Heidelbergenses, hac de re consulti anno cIↃIↃCXI. Ex compromissi praescripto Ioannes a Stockheim et Ioannes Engelbertus a Lautern, burggrauius Gelnhusanus, acta miserunt Vitenbergam. Redit inde laudum, quod vilipendebant feudorum domini ac nihil aestimabant, testibus ill. IOANNE ADAMO KOPP νῦν ἐν ἁγίοις p. 100 sq. t. I der lehns-proben, et ill. IO. PHIL. CONRADO FALCKE, qui Darmstadii in adpellationum tribunali adsessoris munere fungitur, in libro aduersus Breidenbachios solide conscripto p. 125 sqq. *implorationis pro restitutione in integrum.*

Ne quis interea credat, me commenta proferre; illum scire oportet, Stockheimios Wetterauos et Rhingoicos, quorum genealogiam et HVMBRACHTVS p. 122 sq.

sq. et DAMIANVS HARTARTVS AB HATTSTEIN p. 579 sqq. t. I der hoheit des Teutschen adels enumerauerunt, non fuisse simultanee inuestitos cum Wetterauicis, de quibus mihi iam est sermo, agitque inter alios de his liber illustris viri WOLFART, procancellarii, dum viueret, Hanoici: ob die herren von Hanau mit den von Carben in vergleichung zu stellen seind? 1734 fol. p. 451 - 457.

LII NEC CAVSSA MOGVNTIACI AC PALATINI DE WILDFANGIIS NEC RELIQVA EXEMPLA HVC FACIVNT.

Inter Palatinum ad Rhenum ac Moguntiacum anno CIↃIↃCLXV celebris controuersia armis vtrimque fuerat disceptata de iure Palatini comitis, in eo sito: vt, qui ab alienis prouinciis aut profugi, aut incerto domicilio vagi, in Palatinatu sedem figerent, seruorum instar haberentur. Hoc ius vltra propriae ditionis limites, in Franconiam, Sueuici agri partem, Wormacienſem, Spirenſem episcopatus extenderant Palatini. Lis delata ad Spirense tribunal, nihil praeter odia in partibus auxit. Occupatur vi Ladenburgum a Moguntiaco, Rhenoque traiecto ceteros variarum ditionum incolas Palatini obsequium eiurare armatus adigit. Palatinus, auxiliis Brunsuicensibus ac Neoburgicis nixus, amissa facile recuperauit. Imperatoris Leopoldi auctoritate pactae sunt induciae. Brandenburgicus et Badensis arbitri caussae fuerunt delecti. Palatinus Galliae Sueciaeque reges expetiit. Id minime placebat Caesari, exteros in omnia Germaniae negotia aduocari. Palatinus ille Carolus Ludouicus Caesari se purgabat, quod detrahendus fuerit Moguntiaco Gallus.

Fiunt

Fiunt Oppenhemii primum induciae; deinde Heilbronnae, ſollemni legatorum congreſſu, media obtinuit ſententia, quam exhibet MICHAEL CASPARVS LONDORP *actorum publicorum* t. VIIII p. 486. Compara etiam FRANCISCI WAGNERI *hiſtoriam Leopoldi* M. t. I p. 201 ſq.

Quis autem ex his rebus, vbi omnia infima ſummis paria fecerant litigantes, argumentum duceret? Ab eiusmodi exemplis fruſtra petitur aliqua probatio, id quod PRAESES docuit *obſeruationum feudalium* p. 10. Reliqua argumenta aut pacto nituntur ſpeciali, aut περίστασιν plane ſingularem monſtrant. Inde vero ex ante dictis aliquid ſequi, negamus. Igitur aduerſarii aliquid pro conceſſo et probato ſumunt, quod plane huc non facit ad rhombum, nec in hanc diſceptationem quadrat.

LIII IPSE NEGAVIT IMPERATOR ARBITROS.

Immo de Imperatore Carolo V *legimus relatum*, illum improbauiſſe compromiſſum, quod de Magdeburgico burggrauiatu iniuerant Ioannes Fridericus, ſeptemuir Saxo, et cardinalis Albertus marchio Brandenburgicus ſeptemuir Moguntiacus antiſtes Magdeburgicus, arbitris Ioachimo ſeptemuiro Brandenburgico et Philippo Haſſiae Landgrauio, teſtibus actis, quae foras edididit FRIDER. HORTLEDER von den vrſachen des Teutſchen kriges P. II lib. V cap. V p. 1097 ſqq., editionis, anno cIↃIↃcxvii typis exſcriptae, et p. 1985 ſqq. t. II, editionis, anno cIↃIↃcxlv typis excuſae.

LIIII NEGAVIT CAROLVS BRVNSVICENSIS ET LVNEBVRGICVS DVX IN CAVSSA FEVDALI OBTINERE AVSTRAEGAS.

Quum Magnae Brittanniae rex Georgius II, tamquam nouemuir Brunſuicenſis, renouationem inueſtiturae feudorum Brunſuicenſium communium, ſamt-lehne, ab Imperatore Carolo VI peteret, ac ducatus Bremenſem, Verdenſem et Lauenburgicum eſſe ſonder-lehne ſtatueret, librumque, auctore, vt ferunt, IO. GOTTFR. DE MEIERN fol. 1738 edere iuſſiſſet, ſtatuiſſetque ex cap. XVIII pacti Cellenſis locum eſſe domus auſtraegis; illum confutarunt Guelferbytani, et auſtraegis locum eſſe in cauſſa feodali negauerunt. Libri vtriusque rubrum dedit perilluſtris GEORG. SEPTIM. ANDR. DE PRAVN p. 274 ſq. *bibliothecae-Brunſuico Luneburgicae.*

His quidem obſtare videtur ſententia, a Schwikero de Sickingen, vicario iudicii Ludouici, Palatini ſeptemuiri, et parium in cauſſa ſeparationis eorum, quae ad filias pertinent Sponheimenſis domus, anno CIↃCCCCXLVII lata, in deductione Limburgica contra Vohenſteinios p. 104 ſq. Sed auctor huius libelli laudum vocat id, quod tamen eſt ſententia parium curiae.

LV VINDICAMVS VTRVMQVE POSSESSORIVM FORO CLIENTELARI.

Auguſtum Imperii tribunal Vindobonenſe controuerſiam quamdam feodalem Gemmingianam remiſerat ad curiam feodalem Haſſiacam. Erant, qui, regimen intelligi, putabant Darmſtadinum. AVG. GOTTL. IENICHEN, ὁ μακαρίτης, pro curiae paribus faciebat; ſed IO. FRIDER.

FRIDER. KAYSER, qui nunc pariter versatur inter caelites, a parte regiminis stabat, auxilio nixus maxime ac prolixe barbatorum hominum, praecipue Italorum, in opusculo *de caussis feudalibus in iudicio disceptandis* cIↃ IↃCCLI. Recte tamen §. XXXVIII statuit, cum possessorium summariissimum tum ordinarium ad forum clientelare spectare. Reiectis austraegarum exceptionibus, in caussa Charlottae Wilhelminae Amaliae principis Nassouicae, palmitis Hadamarici, aduersus principes Nassoicos Cattimelibocensis gentis in possessorio summariissimo rerum, quae adprehenderat allodiali titulo, fuit pronunciatum; teste libello, cui nomen: iustitia caussae Nassouico-Hadamariensis in sachen der frau marquisin von Westerloo contra die Nassau-Cazenellenbogische stamms-agnaten 1736 fol.

LVI REMEDIA PRAEIVDICIALIA.

Georgius Crato (Crafft) Spigel de Pickelsheim in Borlinghausen vxorem duxerat N. N. Haec, clam marito suo, enixa est anno cIↃIↃCCXIII quemdam Heinricum. Illo istius puerperii ignaro, mater partum suum mulierculae cuidam dedit nutricandum in vico, cui Attelenae est nomen. Cessit fato dictus Georgius Crato anno cIↃIↃCCCXXVIII, an nescius, se habere filium? de hoc non constat. Spigelii de Helmeren feuda ad se fuisse deuoluta, contendunt. Compara die geschichts-erzälung in sachen der Spiegelischen Pickelsheimischen feudal-und stamms-erben wider das Paderborniſche hofgericht und den curatorn des Spigelischen-Borlinghausischen minorennen Heinrichs von Spigel, fol.

Possessionem feudorum et praediorum stemmaticorum adprehenderant Spigelii de Helmeren. Quapropter curator partus dubii ope legis 1 §. 15 D. *de agnoscendis vel alendis liberis* experiebatur actione praeiudiciali affirmatoria, vt Heinricus iste filius declaretur, filiique iure vtatur. Negat quidem SVENDENDOERFER p. 4 de *action. feud. successoriis* dari actionem praeiudicialem. Gelriae tamen forum aliam praebet inspectionem, cuius actio ante lustrum circiter alicui intendebatur.

LVII REMEDIA PROVOCATORIA SIVE PRAEPARATORIA.

Duo fratres Ioannes Bernhartus ac Iohannes S... de W., equites Hassiaci, anno CIↃIↃCCXV a Constantino abbate atque principe Fuldensi iure feudi accipiunt das gericht W..., prout docent litterae clientelares, a PRAESIDE p. 40 *analectorum Fuldensium* vulgatae. Est illis soror Guida Margareta. Extremum morte diem conficit vnus frater, ac dimidiam feudi partem in filios suos transmittit. Animam efflat pariter alter frater superstes, caelebs, ductor generalis militiae Danicae. Putant filii vnius, quem dixi, fratris, sibi ius esse succedendi in parte dimidia generalis illius Danicae militiae praefecti. Negat hoc soror Guida Margareta, et lite quoque vincit fratris filios, teste sententia curiae clientelaris Fuldensis l. d. apud PRAESIDEM p. 39 sq.

Quum vero cunctam partem dimidiam huius feudi Fuldensis feodalem esse adfirmaret Guida Margareta, fratris filii autem hoc negarent; illa prouocat secundi fratris Ioannis filios ex lege 5 C. de *ingen. manumiss.*: Mein seliger

seliger bruder der gewesste koenigl. Daenische generallieutenant Ioh. Bernhart S... de W... ist vnlaengst aus dieser zeitlichkeit in die ewigkeit versetzet worden, vnd, nach ausweise des hirbeigebogenen urthels A., die halbschied des lehn-gerichtes W... vom F. Fuldaischen lehnhofe mir zuerkannt worden. A.

Nun ergibet die anlage B, welchergestalt meines seligen zweiten bruders Iohanns zu W. nachgeblibene dreie herren soehne, namentlich ..... S. von W... sich hin und wieder haben verlauten lassen: „was masen mir nicht alles, was dise haelfte des lehns-gerichtes W... in sich fasset, zustehe; sondern teihls erbe teihls H. lehnstücke darunter sich befaenden;“ ungeachtet doch alles kündliches F. Fuldaisches lehn ist, davon auf mich die haelfte verfaellet worden. B.

Nachdem aber dises fürgeben eine blose diffamation ist; die herren diffamanten auch sich nicht getrauen werden, ihre vermeintliches ausstreuen zu rechte auszuführen; ich, die diffamatin, hingegen nicht gesonnen bin, bei solcher vnbegründeten diffamation es bewenden zu lassen, sondern ich vilmehr der rechts-wohltaht aus dem lege diffamari mich bedinen will. Als bitte ich, nach ausgegangener ladung an die diffamanten und prouocaten auch erfolgeter antwort derselben, zu erkennen: „dass die herren diffamanten und prouocaten ihre diffamation wegen der vermeintlichen erbestücken vnter der haelfte des lehn-gerichtes W..., zu erweisen schuldig seind. In verbleibung dessen ih-

„ nen ein ewiges ſtillſchweigen auferleget werde. „ Hirüber cet.

Gemüſigte prouocation ex l. diffamari 5 C. de ingenuis manum.

meiner
Guiden Margareten S. . . zu W. . . diffamatin
und prouocantin an einem
wider
meines jüngern ſeligen bruders Iohanns zu W. nachgelaſſene dreie herren ſoehne . . . .
diffamanten und prouocaten am andern teihle;

nebſt beilagen A. und B.

im betreffe der angeblichen gaentzlichen erbe-ſtücken der haelfte des lehngerichtes W...

Reliquas iudicis partes adnotauit in hoc diffamationis negotio BARTHOLOMAEVS LEONH. SVENDENDOERFER *de actionibus ſucceſſoriis feudalibus* p. 107 ſq.

Quo autem in foro intendit prouocans hoc remedium praeparatorium? In cauſſis ciuilibus locus profecto eſt foro prouocantis communi, quod in feudalibus cauſſis etiam procedere exiſtimat SVENDENDOERFER l. d. p. 115 §. 18.

Aduerſus poſſeſſorem rerum allodialium, heres allodii nequit vti hoc remedio, ne ille priuetur poſſeſſionis commodo, CHRISTOPH. HEINR. DE BERGER p. 486 deciſionum.

Electo-

Electorem Brandenburgicum, tamquam principem Halberstadiensem, ex lege diffamari domum Brunsuicensem, ob comitatum Reinstein, prouocasse, discimus ex HEINRICI DE COCCEII *deductionum et consiliorum* t. I p. 652. Prouocationem ex hac lege in caussa clientelari *processui iudiciario camerali* inseruit IO. FORSTER p. 670 sq.

De vsu huius remedii etiam feodalis auctores sunt et IOACH. MYNSINGER DE FRVNDECK cent. III obs. 38, et IO. HEINR. A ROSENTALL cap. X conclus. 40 n. 16 *synopseos feudalis* et GOTTFRID. ANTONI *disputat. feudal.* XIII §. 3, 9. Adde pariter V. A. LVD. GOTTFR. MOGEN de *diffamato prouocante forensem prouocatum reconueniente*, Gisae 1750, p. 20 sq.

LVIII PROVOCATIO EX LEGE SI CONTENDAT.

Quum PRAESES adhuc ordini ICtorum Ienensium adsideret, ac vasallus quidam Mecklenburgicus in gratiam filiarum suarum rogaret agnatum proximum, in feudo successurum, vt, se viuo, separatio feudi allodiique perageretur. Noluit separationem agnatus. Consultus ordo iuridicus Ienensis, negabat agere posse vasallum, cuius feudum indipiscitur proximus agnatus, ad separationem ante feudi delationem ad successorem feudi. Idem in caussa Io. Ludouici comitis de Sulz, qui anno CIↃIↃCLXXXVII mortalitatem exuit, mihi deprehendisse videor in relatione august. senatus Imperii aulici anno CIↃIↃCLXXVI perscripta, P. II der Reichs-hofraths-gutachten p. 32. Immo IVST. HENN. BOEHMER de *iure futuro* cap. II §. 26 p. 64 sq. cuicumque remedio ob separationem feodi, cuius possessor adhuc viuit,

locum esse pernegat. De plus petentis exceptione disputauit acute REINH. BACHOV ECHT de *actionibus* disp. I §. 41 p. 20. Eamdem fulcire conatur contra ius futurum EBERH. FABRICIVS Gaillii enucleati lib. II *obs.* 74 sect. 2 p. 150. Nec Carolus Ludouicus Schenck de Schweinsberg, anno CIↃIↃCCXLVI fato functus, pater quatuor filiarum, et feudorum et praediorum stemmaticorum et allodiorum possessor locuples, vix lausus est, viuus impetrare allodii a feudo separationem. Dubia erant haut leuidensia. Aduersarii, ius de succedendo esse futurum, aiebat. Quapropter nec prouocationem ex lege diffamari nec ex lege si contendat vti posse viuum possessorem aduersus successorem autumat BOEHMER l. d. cap. I p. 19 sqq. Nec heredibus allodii natam esse actionem, de rebus allodialibus agendi contendit. Inter deliberandum existimabat quidam adsessor Ienensis, vasallum, qui prole caret masculina, confugiat, necesse est, ad negatoriam actionem vtilem, vt respondere oporteat successorem feudi. Malebant alii, locum esse dandum implorationi iudicis officii.

LVIIII VISIO BÜNAVIANA.

Duae causae, vna Bünauiana altera Berbisdorfiana, ingenia aduocatorum Dresdensium exercuere. Rudolphus de Bünau, Lauensteinii toparcha, Güntheri filius, viuebat in coniugio filiis orbo, filiabus tamen non sterili. Ex simultanea inuestitura feudum sequebatur eius patruelem, Rudolphum de Bünau, dominum Weesensteinii, eiusque fratres Güntherum et Heinricum Bünauios, Güntheri Weesensteinensis filios. Bünauius Lauensteinensis prouocabat hos agnatos, Bünauios Weesensteinios, ex lege

lege si contendat, ad secernendum ab allodio feodum. Negabant hi, locum esse remedio isti. Compara interim tabulam genealogicam, quae legitur p. 269 t. II der adelshistorie auctore VALENTINO KOENIG.

LX INSPECTIO BERBISDORFIANA.

In viuis erant tres fratres, equestris ordinis, de Berbisdorf, in Saxonia. Georgius Hauboldus in Ober-Forchheim, Georgius Wolf in Roth-Wernsdorf, et Christophorus Carolus, in Gros-Sara, filii Christophori de Berbisdorf, toparchae in Ober-Forchheim et Selmniz, perhibente VALENTINO KOENIG t. III p. 73 l. dicto. Ex his tribus fratribus Georgio Wolfgango vna superstes erat filia, cui nomen Erdmutae impositum fuit. Illi e re filiae suae esse videbatur, se viuo, feudalia segregari ab allodii bonis. Compromittunt, se boni viri arbitratu hoc negotium fore terminaturos. Postea Georgius ille Wolfgangus binos fratres suos prouocat ex lege: si contendat 28 D. *de fideiussor.* Quidnam fratres dicti capiunt consilii? Negant profecto fratri vsum huius remedii prouocatorii.

LXI SPECIES VOHENSTEINIANA.

Notissimum est praedium clientelare Adelmannsfelden, confine ditioni Elwangensi, feodum Limburgicorum in Franconia dynastarum, postea comitum. Libellis, quos deductiones vocant, inscribitur hoc nomen: „ad causam citationis ex lege: si contendat, Christophori Ludouici de Vohenstein contra die graefliche Limburgische frau witbe vnd übrige allodial-erben. "

LXII

LXII RATIONES COMPLVRES PRO ADMITTENDO HOC REMEDIO.

Cardo rei siue caussa principalis est: num deduci possit in iudicium ius futurum, certum tamen, sed tantum: quando exsistet: incertum? Ius futurum dico facultatem moralem, quam aliquis certe, sed adhuc in potentia habet, et actu quoque reuera exsistet, interea τὸ quando adhuc in incerto haeret. Ob eiusmodi certum ius et nulli dubio obnoxium v. g. successionem, datur actio, testibus DAV. MEVIO P. VII *decis.* CCCXLIII num. 3 et ANDR. GAILL lib. II *obs.* 74 num. 3 p. 437. Nae I hic conditio non adparet! CASPAR ZIEGLER *de conditionibus* §. X et XIII p. 1096 sq. *disceptationum selectarum.* Ad haec II a spe substituti in testamento ducimus argumentum ex *auth. contra* C. ad *SC. Trebell.*, HEINR. HAHN *de iure rerum* p. 5? Existimat igitur IO. HEINR. DE BERGER §. LI *electorum processus prouocatorii* p. 250, adfirmandam esse hanc quaestionem, in primis, quia III interest eius, qui prouocat, in discernendis rebus clientelaribus et allodialibus certum maturari iudicium, propterea praecipue, quod viuus possessor illarum rerum habeat optimam notitiam. IIII interest domini directi, ne obscuritate negotii secretionis post mortem vasalli feodum sentiat quamdam deminutionem. V sapit cauillationem, si quis detrectet separationem. Etenim ipsorum fugientium interest, litem breuiter amputari, ne temerariae prolationis suspicionem excitent, qui, viuo possessore vasallo, argumentum successionis feodalis definire respuunt, et futuram litem praecidi, renuunt. Accedit VI, quod, vbi simultanee inuestiti adsunt,

adſunt, a quibus ſeparationem efflagitat poſſeſſor feodi, negotium hoc non contineat ius ſucceſſoris futurum, ſed illud iamiam praeſto eſſe, praeſensque, docente BENEDICTO CARPZOVIO libro VI *reſponſo* 77 p. 1461.

Caue autem ineptum petitum! Qui formularum magiſtro BARTHOL. LEONH. SVENDENDOERFERO ad *proceſs. Fibig.* p. 1590 ſq. fidunt; egregie falluntur. Primum ergo petitum vaſalli poſſeſſoris hoc eſto; „ daſs „ dem prouocanten ſeine wider des prouocatens an-und „ zuſprüche habende ſchuzreden, im betreffe der erb- „ lichkeit der N. N. N. ſtücke, bei kraeften bleiben. „ Succeſſor autem fortaſſis prouocans a iudice petet ſimili modo hac mutatione: daſs prouocantens habende einreden, wegen der lehnbarkeit aller ſtücke und zugehoer, bei kraeften bleiben.

Aduerſus prouocatum v. g. ſucceſſorem feudi contumacem petitur a prouocante interlocutoria: „ daſs „ der prouocat auf des prouocantens ſchuzwehren, bei „ verluſt ſeiner darwider habenden replic, ſich einzu- „ laſſen ſchuldig ſei. “

Perſiſtente in contumacia prouocato, e. g. ſucceſſore feudi, tertium erit prouocantis petitum: „ daſs „ des prouocantens ſeine wider des prouocatens an-und „ zuſprüche habende rechtlichen behelfe billig bei kraef- „ ten bleiben; ermeldtem prouocaten hingegen, wegen „ ſeiner darwider habenden replic, ein ewiges ſtillſchwei- „ gen auferleget werde “ DE BERGER l. d. p. 247 §. 48.

LXIII QVEMNAM PROBARE OPORTEAT IN HAC PROVOCATIONE?

Saxonica iudicia existimant, si negando respondeat prouocatus ex lege, si contendat, prouocantis esse, vt probandi onus subeat vasallus, secernenda feodum et allodium desiderans, QVINT. SEPT. FLOR. RIVINVS *enunciatorum iuris* p. 771, tit. XX §. 23. Quum probauit prouocans, sententia fertur: dass prouocant dasjenige, was ihm zu erweisen auferleget war, und er sich angemasset hatte cet. derowegen - - - - adde CHRIST. HEINR. DE BERGER *decis.* 480 p. 466.

LXIIII QVANDOQVE LOCVM OCCVPAT VTILIS EXHIBITORIA.

Haec, si ab allodii herede intenditur, est actio successoria personalis praeparatoria, vt possessor allodii permittat huius inspectionem. Vtitur pariter illa feudi successor contra detentorem feudi. SVENDENDOERFER de *actionibus successoriis feudalibus* p. 209 sq.

LXV SEPARATIONIS IPSIVS PETITIONE NVNC ACTOR NVNC REVS VTVNTVR.

Separatio nititur aequitate summa. Inde venit, vt numerum earum specierum augeat, quas varias caussarum figuras vocant leges. Quapropter actio in factum subsidiaria inde proficiscitur, IO. ORTW. WESTENBERG de *caussis obligationum* differt. V cap. 2 p. 162 p. 7. Vulgo iudicis implorationem vocant. Hanc cum principali actione haut inepte cumulabis. Reus quoque loco exceptionis vti potest separatione, arg. cap. 71 *de reg. iur.* in VIto.

LXVI

LXVI QVAENAM ACTIO DETVR EI, QVI TANTVM PETIT AB ADVERSARIO IMPENSAS QVIBVS EST MELIVS REDDITVM FEVDVM?

SIGISM. FINCKELTHAVS, *controuers. feud.* diſſ. VIII §. 22 et IO. EICHEL *de debitis feudalib.* §. 85 denegant heredi allodiali actionem, ſed tantum illi retentionem largiuntur. Sunt, qui tribuunt condictionem, vt puta CASP. BITSCH *comm. ad* II feud. 28, GOTTFR. ANTONI *diſp. feudali* XII §. 7 h. Alii vtilem actionem verſionis in rem commendant. Magna tamen eſt pragmaticorum cohors, quae verba facit pro negotiorum geſtorum actione. Inter hos eminent DAV. MEVIVS P. II *decis.* 227 num. 2 p. 171, HEINR. BOCER de *iurib. domini et vaſalli*, et CASP. HEINR. HORN cap. XXI *iuriſpr. feudal.* Compara V. A. IOANN. WVNDERLICH opuſculum *de remediis, quae pro ſeruandis recuperandisue impenſis feudalibus competunt* §. 84, Ienae 1758, ac perpende dubia, quae actioni de in rem verſo obſtant, quo minus tuto illa nitatur heres, quae mouit CHRISTIAN. GOTTFR. HOFMANN de *iure ſeparandi allodium a feudo* cap. I §. 9, 10, p. 21 ſq. Separationis petitio datur aduerſus tertium poſſeſſorem. Reale hoc negotium in plerisque adparet cauſſis. Inde ſequitur, vt pariter illi locus ſit contra tertium poſſeſſorem.

LXVII SEPARATIONIS EXCEPTIO EST MIXTA.

Non tantum dilatoria eſt haec exceptio, ſed etiam quandoque peremtoria. Namque tangit ius excipientis in feudo allodioue. Hinc ſequitur, vt mixtam gerat naturam,

turam, quae partim perimit vel circumscribit ius actoris, locumque contra exsequutionem habet, V. C. PETERMANN l. d. §. XV p. 19.

LXVIII CVM SEPARATIONE CVMVLAMVS VINDICATIONEM VEL HEREDITATIS PETITIONEM.

Quando vindicatio feudalis est proponenda in iudicio; dispiciendum est: vtrum agat dominus feudi, vel actor sit feudi successor. Dominus feudi vtitur vindicatione feudali directa. Successor feudi intendit possessori feudi vindicationem feudalem vtilem, quam vulgo actionem vtilem feudi reuocatoriam vocant. Nec cessat Publiciana feudalis successoria. Absens reuersus quoque vindicatione feudali vtili frui potest.

LXVIIII ARGVMENTVM LIBELLI.

Heres allodii habet hereditatis petitionem, pro se loquentem. Principis feminae Teclae Wiesniowickae, viduae comitis Iac. Heinr. de Flemming, actionis libellum exhibet PRAESES im vnterrichte von abfassung der vrthel p. 301 - 304. Lectu quoque dignus est actionis libellus, quem et ANTON. FABER et personatus ille CASSANDER THÜCELIVS t. III des H. R. R. staats-acten et illustris IO. IACOB. MOSER t. XXVI des Teutschen staats-rechtes p. 72 sq. foras ediderunt, quemque proposuit Charlotta Elisabeta, Palatina, Philippi ducis Aurelianensis vxor secunda, heres allodii fratris Caroli, octouiri Palatini. Mobilia impensaeque aestimabantur ab illa 47298 florenis et 34 crucigeris.

Libellus

Libellus habebat id argumenti: vt, praeter editionem cunctorum instrumentorum, inuentariorum, descriptionum vniuersae hereditatis fraternae, peteret dux femina Charlotta Elisabeta supellectilem omnis generis, vestes, stragula, peristromata, margaritas, vasa aurea, argentea, pecuniam numeratam, vina, frumenta, equos, greges, armenta, nomina, iura, actiones, praetensiones, allodialia immobilia, et allodialibus per constitutiones Imperii et secundum iurisprudentiae Germanicae regulas accenseri solita, vrbes, oppida, praedia alio titulo, quam feudi masculini a fratre et maioribus suis possessa, emtione, donatione, testamento aut alias adquisita, praedia item emphyteutica vel oppignerationis nomine comparata, dominium directum et bonorum emphyteuticorum, censiticorum, aliorumque similium, et feudorum, ab alio feudo dominante non dependentium, feuda vacantia et dominio directo consolidata, iura territorialia, accessiones et incrementa feudis masculinis adnexa, bona per confiscationem aut alio quouis modo simili adquisita, bona ecclesiastica, saeculari vsui restituta; feuda hereditaria, ditiones et praedia in feudum erecta, pureque et absque lineae mentione concessa, aut sequioris sexus beneficio comparata, feuda oblata et emta, item pigneratitia, reditus anni 1685, quae cuncta cum fructibus, eo, quod interest, et omni caussa sibi restituantur, illustris FRIDER. CAROL. DE BVRI p. 433 sq. der erlaeuterung des lehnrechtes, AVGVSTIN. DE LEYSER specim. CCCCLXVIII p. 323 sq. Auctor est IO. FRIDER. REIGER p. 340 der ausgeloeschten kur-Pfalz-Simmerischen stamms-linie mandatarium ducis feminae Aurelianensis mobilia Parisios partim misisse, partim publice vendidisse, quorum

pretium aequat ſummam 300 000 florenorum. Heredes Limburgici allodio addebant ſuffragium in circulo Franconico et conuentu Imperii vniuerſali, FABER t. XXXVIIII der ſtaats-kanzellei p. 585 ſqq. Argumenta Boruſſica pro ſuffragio, adhaerenti feodo, propoſuit IAC. GVIL. DE FORSTER, quae inter LÜNIGII *ſelecta ſcripta illuſtria* proſtant p. 413-426.

LXX SEPARATIONIS EXCEPTIONE NIXVS SICVTI VINDICANS NOMINATIM ET SPECIATIM ENVMERAT ADCVRATE DESIGNANDO QVID VEL FEVDI IVRE AGENS PETIT ITA ALLODIVM ESSE REVS EXCIPIT. POSTVLATIO INVENTARII ETIAM REMEDIVM PECVLIARE.

Praecipit, quae dixi, lex 6 D. *de rei vindicatione*, vindicanti. Rei eſt, inuentarium exhibere, actore deſiderante. Nam l. 15 D. *de reb. auctor. iudic. poſſid.* permittit cunctis, quorum intereſt, petere deſignationem rerum omnium. Qui enim poſſidet res alienas, communesue, eum oportet edere inuentarium, DAVID MEVIVS P. II dec. XX num. 2 p. 106. Ob ius futurum vti poſſumus remedio edendi inuentarii, BOEHMER de *iure futuro* cap. II §. 9 p. 37 ſq. Namque vaſallus obligatur ad eiusmodi enumerationem, GABR. SCHWEDER de *dinumeramentis* P. I §. 5 p. 765 t. I *diſput.* Ad idem tenetur praediorum, fideicommiſſo deuinctorum, poſſeſſor, PHIL. KNIPSCHILDT de *fideicommiſſis fam. nobilium* cap. XII num. 8 ſqq. p. 526.

LXXI NOVEMVIRI PALATINI EXCEPTIONES.

Io. Guilielmus, Neoburgicus, Palatinus elector, aduerſus Charlottam Eliſabetam Palatinam Simmerenſem ſequen-

sequentibus vtebatur exceptionibus 1) continuatae possessionis, vi simultaneae inuestiturae, 2) non competentis, contra titulo possidentem, hereditatis petitionis, 3) non rite institutae actionis in foro competenti, 4) rei traditae ob venerationem regis Galliae, 5) non exsistentis communionis inter Charl. Elisabetam et nouemuirum Palatinum, 6) pacti conuenti et secundum hoc factae solutionis, 7) omissae ab electore Palatino, reo, hereditatis allodialis, 8) libelli generalis, obscuri, ad quem responderi nequit, pluris petitione laborantis et sanctioni pacis Ryswicensis contrarii, THÜCELIVS t. III p. 328 sqq.

LXXII RECONVENTIONEM NON ADMITTIMVS NISI LIS VERSETVR INTER EIVSDEM CVRIAE CLIENTELARIS VASALLOS SITQVE SIMVL BENEFICIARIA CAVSSA.

Tres reconuentionis species a me supra sunt adlatae, vna erat Breidenbachia §. XIII, altera vero euenit inter Berbisdorfios §. LX, ac tertia inter Stockheimios §. LI. At illae caussae non agebantur coram iudice feudali. Quumque controuersia feudalis a domino et paribus curiae suae clientelaris definienda sit; facile adparet, cur aliter locus non detur reconuentioni, nisi adsint et caussa feudalis et vasallus eiusdem curiae reconueniens.

LXXIII QVISNAM PROBET?

Multis hoc argumentum difficultatibus est obstructum, ac iudici clientelari magnum adfert laborem, vt nodum expediat. Operam dabo, vt emergam e vadis et scopulos praeteruehar. Magnum et arduum est opus, omnes asperitates superualere et ipsam etiam naturam vincere.

cere. Labores et CHRISTIANI THOMASII et HEINRICI DE COCCEII omnibus cogniti sunt atque perspecti. Interea logices ac iuris praecepta volunt, vt rationes subducamus ex eo, quod fit vt plurimum, siue vtamur inductione morali, de qua dispexit PRAESES §. 4 p. 5 sq. *obseruationum feudalium*. Permeemus Germaniae ditiones ac regiones, quaeramus de qualitate bonorum equestrium, et numerabimus inter XX praedia circiter duo vel tria allodialia. Vulgi tamen iuridici opinationes hic repetere non attinet.

Iura quoque praediorum conspicimus esse feudalia, vt puta ius venandi, ius coquendi cereuisiam, ius habendi domum vbi molitur, ius pascendi. Inspicias, rogo, litteras clientelares, quas anno CIↃIↃCCXLIII dedit Georgius II Magnae Brittanniae rex Georgio Reinharto Langwerth de Simmern ac fratribus eius, teste libello, deduction wegen Wichtringhausen im betreffe der von Reichauischen erbetoechter 1743, 4t. p. 73. Iam exsurgit I quaestio: vtrum a maiori parte ad minorem liceat ducere argumentum? A. Fac II, praedii alicuius maiorem partem esse clientelarem: num minor pars sit pariter censenda clientelaris? id quod adfirmamus. Item III an res, quae per longissimum tempus cum praedio est possessa, sit habenda feudalis? et hoc pariter venit adfirmandum. Porro IIII quaerunt: an designatio rerum feudalium a vasallo conscripta, ac domino feudi exhibita, praebeat argumentum, hanc rem esse feudalem? in caussa Rau contra Breidenbach, de qua supra §. XVI me dixisse memini, quidam aug. tribunalis Wezlarienſis adsessoris dubii fuere et incerti. Sed eiusmodi designatio heredi allodiali haut nocet, neque aduersus illum

illum probat, teſte perilluſtri DAVIDE GE. STRVBEN P. III der nebenſtunden p. 330.

Quae vt rite intelligantur, dic quaeſo! domus haec eſt certe feudalis. Hoc praedium pariter eſt feudale. Fac, iuriſdictionem, decimas, nonasue, vel triceſimas vltimi vaſalli fuiſſe. Dic, heredes allodii iuriſdictionem ac decimas, quarum nulla in litteris inueſtiturae mentio recurrit, venditare allodiales. Quisnam hic probabit? heres allodii qualitatem docebit allodii. Conſentit perilluſtris IO. VLR. L. B. DE CRAMER P. XI der Wezlariſchen nebenſtunden p. 65. Quum vaſallus, qui per longum tempus feudi pertinentiam poſſedit; heres autem allodii illam praedicat allodialem; huius erit, hoc probare. Sic auguſta Imperii Camera pronunciauit 1758 in cauſſa de Hanxleden aduerſus de Twiſte, perill. L. B. DE CRAMER l. d. p. 67.

Etenim feudum eſt vniuerſitas quaedam. Fac, dominum illud largiri cum pertinentiis. Profecto heredis allodialis erit probare, hanc illamue pertinentiam eſſe allodialem. Finge autem, vaſallum hanc pertinentiam non poſſediſſe, ſed in tertii manibus illam haerere. Et ſeparationis actio contra ſucceſſorem feudi non obtinet, ſed aduerſus poſſeſſorem experiri oportet heredem allodii.

LXXIIII TRES REGVLAS SVPPEDITANT LITTERAE CLIENTELARES DE EFFICACIA VOCIS PERTINENTIARVM.

Alias eſſe pertinentias feudi, alias vero pertinentias feudales iam peruidit IO. HEINR. DE BERGER p. 218 *oeconom. iuris.* Pertinentiae feudi retinent naturam ſuam,

atque adeo sunt allodiales et manent. Igitur successori feudali non aliter debentur, quam refuso pretio. Contra pertinentiae feudales dicuntur, quae ex allodio conuersae sunt in feudum. Hinc successorem feudalem simpliciter sequuntur. Alius supereſt pertinentiarum significatus. Feudum est vniuersitas. Germanis displicebat totam enumerare vniuersitatem. Quapropter primarium, quod in feudum concedebatur, exprimebant, et reliqua complectebantur per verbum zugehoer. Ideo pertinentiae feudales sunt partes feudi a concedente haud nominatim expressae.

Triplicem potissimum collocationem habet vocabulum zugehoer in monimentis beneficiariis. Prima statutio eius haec est, vt rem in feudum datam habeat praecedentem, et mox sequatur, e. g. das schloſs, samt zugehoer, v. g. in litteris inuestiturae P. I p. 103 der kleinen schriften PRAESIDIS legitur: leihen ihnen auch hirmit ein halb virthel und ein acht theil am zehnten zu Steinbach, und ein virthel am zehnten zu Nidern Albach, *mit ihren zugehoerungen:* item p. 110: mit ihrem antheile an die haelfte des schlosses Hermanstein und der *zugehoerde* desselben schlosses halb. Inspice, sodes, p. 116: leihen ihnen zu rechtem mannlehne - - ihr theil an dem schlosse Dernbach mit seinen *zugehoerungen*, ac p. 123: item das haus und die hofstatt mit ihren *zugehoerungen* vf dem berge zu Staufenberg. Quid, quaeso, hic innuit vox zugehoerung? Cuncta declarat esse feudalia.

Secundus vocis zugehoer positus inuenitur post enumerationem rei eiusque iurium, et declarat, esse feuda-

lia

lia omnia. Ita parte II der kleinen ſchriften p. 215 legis: belehnen ihn mit dem halben zehnten zu Yffe, den halben zehnten zu Eidorf, - - alles mit ihren *zugehoerungen* - - ſolche vorgenante lehne und güter mit ihren *zugehoerungen:* item p. 231 mit der Badenburg und derſelben ein-und *zugehoerungen* et P. I p. 128 ein gut zu E. mit aeckern, wiſen, holze, felde, waſſern, waiden und allen andren ihren ein-und zugehoeren, nichts davon ausgenommen oder abgeſondert.

Tertia verbi zugehoer collocatio eſt, quando dominus feudi ſubſtantiam feudi nominat additque mit zugehoer, ac ſubiicit quaedam, quaſi ipſe ſit interpres, quid ſub hac voce generali velit intelligi. Hoc caſu feudale nihil cenſemus, niſi quod loquuntur ipſae tabulae clientelares. Exemplum praebent litterae beneficiariae, quibus, loco antiſtitis, decanus atque capitulum Argentoratenſe anno 1627 inaugurauerunt Georgium Hanns comitem Palatinum Rheni, mit dreien teihlen an der veſtung Lützelſtein mit ihrer *zugehoer*, herrſchaften, mannſchaften, doerfern, leuten, hohen und nidern gerichten, wildbaennen, waeldern, feldern, waſſern, waiden, weihern, hoerungen, cet. Hic inueſtiens clare exponit quid per vocem zugehoer intelligat? Lege, ſi placet, ipſas litteras in ANTON. FABRI ſtaats-kanzellei P. V p. 298.

Contra ſi quidem illud vocabulum exponit pertinentias, addit tamen, nichts ausgeſcloſſen, cuncta eſſe feodalia declarat. P. I der kleinen ſchriften PRAESIDIS p. 108: den halben teihl des ſchloſſes Hermanſtein mit *aller ſeiner zugehoerung:* gerichten, doerfern, leuen,

aeckern, wiſen, waeldern, feldern, waſſern, waiden, zoellen, renten, zinſen, buſen, brüchen und eigenleuten, nichts ausgeſchieden, was zu ſolchem halben teihle gehoeret -- .

Hic enodat princeps inueſtiens: quid complectatur ſub verbo zugehoer. Tacet vero de tantis iuribus, quanta vix aliud habet caſtrum. Sic ſilentio praeterit 1) ius patronatus intuitu parochi, aeditui ac grammatiſtae, 2) ius conſtituendi ſeniorem eccleſiae, 3) vectigal aquaticum, 4) ius recipiendi iudaeos, 5) iuriſdictionem criminalem, 6) cauponae ius, 7) iuriſdictionem foreſti, 8) venatum ſuperiorem et inferiorem, 9) lapicidinam, 10) calcis coquendae ius, ac 11) turdi capiendi, et 12) moletrinae, quam vocant, bannariae, cet. Iam quaeris: num haec XII iura, quae modo percenſui, ſint allodialia? adfirmasque, quoniam litterae inueſtiturae de illis tacent, quum tamen ipſae explicant verbum zugehoer. Et recte ſubduceres rationes, niſi ipſe princeps coronidis loco adiunxiſſet: nichts ausgeſchiden.

Clarius inueſtiens explicat verbum zugehoer P. II der kleinen ſchriften p. 219: liehen ihme und ſeinen erben - ſollich dorf mit aller ein-und zugehoerung: es ſei obrigkeit, herrligkeit, gericht, buſſen, gülten, renten, zinſen, holz, waſſer, waide, feld, alles *erſucht* vnd *unerſucht*, nichts davon ausgeſchieden.

Finge, ſeptemuirum Treuirenſem Cunonem inueſtire Ioannem comitem Sainenſem anno 1378 mit der veſten und burg Freusburg zu rechten aufgebigen ledigen huſe und veſte, ſamt *zugehoer*, mit mannen, burgmannen,

nen, der vorburg, dem tahle und leuten, cet. Fac nunc, adfirmare dominum feudi totam praefecturam, das ganze kirchſpiel, Freusburg eſſe Treuirenſe feudum: negare contra Sainenſes hoc verum eſſe; quoniam ipſe antiſtes explicuit vocabulum zugehoer, et vocem *leute* indicat tantum incolas vici Freusburg. Etenim ſi quando caſtro cuidam adiacebat vicus, vel villa vel oppidum, hoc gerebat nomen des tahles, in oppoſitione caſtri, exſtructi in monte. Mannen ſunt vaſalli, et burgmannen caſtrenſes. Nihil ergo de tota ditione confini ſiue praefectura fuit actum.

LXXV QVOD GERMANIS SVPERIORIBVS DICITVR ZVGEHOER VEL ERSVCHT VND VNERSVCHT TEVTONES INFERIORES ADPELLANT NVTE SCHLACHT ET TOBEHOERING.

Schlacht denotat ea, quae natura producit, prout ex iis concludere licet, quae THIDER. DE STADEN in der erlaeuterung Teutſcher woerter p. 81 obſeruauit; Quare τὸ ſchlacht fructus naturales primum innuere videtur, deinde cuncta ſignificat, quae vaſallo ſunt proficua; tum, ſi voci zugehoer non adiiciatur, ſed hoc omittatur, etiam id, quod ad feudum pertinet, complectitur. Iidem bini ſignificatus obueniunt in verbis erſucht und vnerſucht, prout demonſtratum in cauſſa Ludouici Adolphi S. de S. contra fiſci aduocatum, das hauſiren mit waecken im dorfe K. zu verſtatten.

LXXVI A POSSESSIONE DVORVM PRAEDIORVM HAVT SEQVITVR VT VNVM AD ALTERVM PERTINEAT.

Quidam de R. . ., eques M., duo possidebat praedia equestria confinia, F. . . et R. . . walde; obaerati vasalli allodia et feuda incidebant in conturbationem. Veneunt sub hasta publica duo illa praedia anno 1736. Princeps quidam emit praedium F. ac, se vna parauisse alterum R., quia hoc pertineret ad illud. Probationis onus subiit princeps. At negauit ordo Ienensis anno cIↃIↃccXL thema fuisse probatum. Non licet enim ducere argumentum a possessione vnius praedii ad alterum, tamquam si hoc pertineret ad illud.

LXXVII NVM ACTORE NON PROBANTE ABSOLVATVR REVS?

Vulgo tradunt, actore in controuersia feudali non probante, reum tamen non absolui ab actione. Nituntur, qui hoc docent, I feud. tit. 10, 10. FRIDER. KAYSER ὁ μακαρίτης de *caussis feudalibus in iudicio disceptandis* §. LI p. 86. Verum enim vero vsus, quos dixi, feudorum respiciunt ad mores veterum Germanorum, Gallorum et Langobardorum, qui vni iuranti fidem non habebant, sed eiusdem ordinis cum reo conditionis siue qualitatis personae requirebant, quae vna cum illo simul iurarent, se credere, vera dixisse iurantem. Inde in vetustis rerum patriarum monimentis frequentissima est phrasis: manu tertia, vel quarta, vel sexta, et sic deinceps iurare. Sic Vta, regina, siue Oda Imperatoris

Arnulfi

Arnulphi vxor, LXXXII, principum atque comitum iure-iurando Ratisbonae in regni conuentu est absoluta anno 899, illustriss. comes HEINR. DE BÛNAV t. IIII p. 158 der Teutschen kaiser-und Reichs-historie, itemque eruditissimus ANTON. MATTHAEI *manuductionis ad ius canonicum* p. 320 sqq. Immo constitutio de litibus, in supremo tribunali Imperii pertractandis, vulgo kammergerichts-ordnung, hunc morem iurandi per compurgatores siue sacramentales seruauit, teste C. O. Cam. P. II tit. XI §. 4, quem tamen modum vsus forensis dudum recte deseruit. Quae si obseruauisset CASPARVS BITSCH p. 122 *commentar. in consuetud. feudor.* aliter exposuisset titulum X *feudor.* I.

LXXVIII MODVS PROBANDI AESTIMATIONEM.

Optimus videtur is, quum ea, quae pertinent ad feudum, aestimantur per tres rei oeconomicae peritos, negotium dirigentibus duobus viris equestribus, rei oeconomicae praediorum equestrium gnaris, ANDR. FLOR. RIVINVS, antecessor Vitenbergensium praeclarus, de *iudicio peritorum in arte optimo litium dirimendarum iuris remedio* §. XXI p. 22, IO. ANDR. HANNESEN de *immodica laesione cuiusque probatione per testes caute instituenda* §. 41 sqq. p. 48. Indagant rei pretium praesens, CHR. GOTTFR. HOFMANN l. d. §. 5 p. 38, oeconomische nachrichten, Lipsiae 1757 8, vol. X §. 32 p. 390, DAV. MEVIVS P. III *decis.* 41 num. 1, 2 et P. II *dec.* 210, IO. BRVNNEMANN *commentar.* ad π. l. 55 D. *locati.* Iustum rei aestimatorem vnum nominat probans, alterum aduersarius ac tertium iudex designant, qui iure-iurando obstringuntur. Capita in aestimandis aedificiis obser-

obseruanda edocent die oeconomischen nachrichten vol. X p. 595 sqq. Virorum, quos dixi, equestrium est moderari pretia aestimatorum, quippe qui magnum rebus statuere solent pretium, oeconom. nachrichten parte CXVI p. 397 vol. X. Argumenta probandi heredum Limburgici allodii prostant t. XVIII FABRI staats-kanzellei p. 1-220. Adde die gemeinsame Limburgische extractus 1714 fol.

LXXVIIII SVCCESSOR FEVDI OPPONIT HEREDI MINVS FVISSE NECESSARIVM HOC AEDIFICIVM.

Vasallus de S. . . berg horreum aedificauerat, inuito feudi successore, ideo contradicente. Iam quaeritur: vtrum filia heres allodialis probare debeat, pristinum horreum ita fuisse comparatum, vt nouo eguerit vasallus? an vero successoris erit, docere, hoc aedificium fuisse superuacuum? Pater meus, inquit filia, bona fide in feudali fundo aedificauit, ac iura hoc illi permiserunt, et repetitionem impensarum, feudi nexu exstincto, concesserunt, II feudor. XXVIII §. *si vasallus*. Successor feudi respondet: fac, vasallum, quum adipiscitur feudum, aedes exiguas et minus commodas reperire, atque ideo, destructis illis, ampliores melioresque aedificare. Deinde feudum redit vel ad agnatum dominumue. Habebit quidem filia ius retentionis, MEVIVS P. III *decis.* 368; sed tamen nec impensas omnes, quas pater eius fecit, recuperat, nec praesens aestimatio aedificii illi restituitur, sed deducitur ante omnia pretium eorum aedificiorum, quae ab initio adfuere et a vasallo aedificante sunt deiecta. Nam, hoc demum deducto, dominus locupletior

pletior factus dicetur, AVG. DE LEYSER spec. CCCCXLVII med. 2 p. 90. Hinc in te, o filia, recidit probatio. Probare igitur illam, iussit ordo noster anno cIↃIↃCCLVII, horreum istud praedio adhuc vtile fore, salua successoris reprobatione. GABRIEL SCHWEDER de *meliorationibus feudi* cap. 2 §. 3 p. 182 t. I *disput.*

LXXX SENTENTIA OB RETENTIONIS IVS CAVTE FERENDA. SENTENTIAE CLIENTELARES DE SEPARATIONE AGENTES.

In his rerum argumentis iuri retentionis locum esse, docuit IO. STRAVCH *de iure retentionis* §. 20 p. 1028 sq. supplem. Senckenbergiani. Finge, viduam propter illata ius retentionis a iudice petiuisse in bonis mariti sui defuncti. Fac, filiam, mortuo patre, vasallo, absque prole mascula dotis seruandae caussa impetrauisse missionem in feudum. Videas per errorem pronunciari: dass die witbe N. N. so lange, bis der lehns-folger N. N. im ordinario oder petitorio ein anders ausgeführet haben wird, bei dem einmal erlangeten besize (bei dem ergriffenen besize) zu schützen sei. Sed ita est sententia ferenda: dass die verwittibte N. von N., gebohrne von N., bei dem besitze des rittergutes N. so lange, bis sie ihres eingebrachten halber vergnüget worden ist, billig zu schützen sei; immassen wir sie dabei hirmit schützen. Quando feudi successor se obtulit, ad restitutionem eius, quod liquidum erit, additur sententiae: sie, ermeldte witbe, ist aber mit dem lehns-folger N. N. die ihr von disem angebotene berechnung (liquidation) in monats-frist anzutreten verbunden. IO. PAVLLVS KRESS de *variis controuersiis in argumento possessionis* p. 8 sq.

Sententias, ſuper ſeparatione latas, lectita, ſi placet, t. III *ſymphorematis cameralis* GEORG. MELCHIORIS DE LVDOLFF col. 569 ſq., 571 ſqq. itemque vol. II *obſeruat.* p. 540 ſqq. et t. III *obſeruationum* faſcic. I p. 46 et deductionem *Rauianam.* Deguſtare etiam potes laudum in cauſſa Palatina arbitri imperatorii, Io. Friderici Binderi, et Gallici, Vlrici Obrechti penes THÜCELIVM t. III p. 350 ſqq.; ac pontificis ſuperarbitri p. 358 ſq. Arbitri reſpexerant ad §. 2 *inſtit. de officio iudicis.* Pontifex attendebat l. 68 D. *de rei vindic.* et l. 55 *famil. erciſc.* ac §. 4 *inſtit. de offic. iudicis.*

LXXXI SVRROGATA FEVDALIA.

Surrogatio generatim dicta eſt collocatio vnius rei in alterius locum. In feudalibus euenit ſurrogatio aut ab ipſo domino, aut hoc conſentiente, aut ignorante, ſurrogatque vaſallus aliquid e. g. loco agri feodalis pratum quoddam. Sic anno cIↃIↃXXXIII Gerdt et Cordt fratres et Fridericus, Spiegelii permutationem contrahunt cum Ioanne abbate coenobii Hardeshuſen, ordinis Ciſtercienſis, familiae Bernhartinae, in territorii Paderbornenſis antiſtitis, gograuiatus Wartenbergici, ſiti. Permutant clientelaria quaedam bona cum abbate, et hic illis loco illorum tradit quosdam fundos, monaſterio proprios, DE LVDOLFF t. III *ſymphorematis* col. 602 ſq. Per aliquot ſaecula durauit haec ſurrogatio. Sed tempus longiſſimum non obſtabat ſucceſſori clientelari, quo minus vti poſſet vtili vindicatione. Adi IO. VOLCKMAR. BECHMANN. de *ſurrogatione* §. XXXII. Interim, quia IO. HEINR. MEIER de *iure ſurrogatorum* te impranſum

pransum dimittet, quid opus sit facto, tibi consulet GE. MELCH. DE LVDOLFF *obs.* CC, vol. II p. 557, sq.

LXXXII QVAE RES SEQVANTVR HEREDEM ALLODII?

Saxonum placita hoc de argumento congessit GEORGIVS ADAMVS STRVVE, Ienensis regiminis quondam praeses, illaque calci S. F. adiecit, ac repetiit illustris MOSER t. XXVI des Teutschen staats-rechtes p. 157 sqq. §. 40. Quoniam vero multa in eos vasallos, qui iure Saxonico haud reguntur, minime quadrant, PRAESES occasione caussae B. in S., feudi successoris, aduersus B., viduam in B., indicem rerum allodialium texuit p. 194 sqq. t. II der Teutschen rechtsgelahrheit §. 3291, quam edidit illustris IO. ANDR. HOFMANN. Cum his queunt coniungi, quae obseruauit illustris IO. IAC. MOSER l. d. p. 179-191. Quoniam vero instituti ratio haut permittebat, caussas illustres ibi pertractare; iam adumbraturus sum illas.

LXXXIII CAPVT ET RERVM ALLODIALIVM SVMMA.

Rei cardo sequentia complectitur capita, de quibus solent inter se disceptare: I res immobiles et quae has aequiparant, legunturque in designatione principis Aurelianensis apud THÜCELIVM t. III p. 242-279 e. g. feuda hereditaria cet. item feuda adquisita. II mobiles vt puta pecuniam, vinum, fructus, lanam, III supellectilem, fahrende habe, IIII numophylacium, V bibliothecam priuatam, VI credita, VII reliqua tributorum, VIII vestimenta, VIIII ornatum et mundum, X instructum aedificiorum, XI vasa

aurea et argentea, XII sclopeta maioris atque minoris modi, XIII naues, lyntres, XIIII equile atque equorum instructum, sattel-kammer, XV equariam, XVI pecudes varii generis, XVII Arausionensium pomorum copiam, orangerie, XVIII fructus pendentes, XVIIII technophylacium, XX collectiones rerum ad naturalem historiam et antiquitates facientium, XXI adparatum venatorium, XXII milites, XXIII debita, XXIIII meliorationes, XXV deteriorationes, ill. MOSER l. d. p. 179 sqq. Caue tamen, committas, haec pro allodiis cuncta habeas, nec, rogo, negligas monita illustris DE BVRI p. 433 sqq. Noli etiam, ea hic adplicare, quae statuit Iustinianus in l. 7 §. 1 in f. C. *ad SCt. Macedon.* Responsum, quod legitur in V. A. CAR. FERDIN. HOMMEL reden über das lehnrecht p. 350 sq., specula, arbusculas, quas orangerie vocant, et siphonem, ad compescenda incendia, allodio accenset.

LXXXIIII E FRVCTIBVS FEVDI EQVESTRIS COMPARATVM EST ALLODIALE IDEM VERO DE ILLVSTRIVM FEODIS DICI NEQVIT.

Quoniam fructus feudi suos facit vasallus; dubium suboritur: an haec regula inter principes Imperii pariter obtineat? Sunt illi et habentur administratores feudorum regni ac publicorum allodiorum. Quidquid ergo ex redituum publicorum fisco siue camera aedificatur vel emitur, cet.; territorio totique prouinciae destinatum censemus. Comparata e principis patrimonio sequuntur allodii heredes; nisi pactum, v. g. confratrum Saxonicorum et Hassiacorum rem hanc aliter definiat. Lege, si placet, PRAESIDIS *elementa iur. publ. Hass.* p. 91 sq.

LXXXV

LXXXV VARIAE DE FEVDALIBVS DEBITIS INSPECTIONES VARIANT IVS RATIONE ILLORVM.

Enarrabo quasdam ſpecies. Fato perfunctus eſt Marburgi anno cIↃIↃCCXLVIIII copiarum Haſſiacarum generalis praefectus ab Vffel. Is in diuiſione cum fratribus quatuor, praedium equeſtre Oſt-ſiue Burg-Vffeln, onuſtum ex paterno debito acceperat. Teſtamento nominauerat allodii heredes filiam fratris et ſororem conſanguineam. Perſoluerat debita, quae modo dixi, creditoribus. Expoſcunt allodii heredes a ſucceſſoribus feudi XI millia, quae exſoluerat teſtator. Naturae conceſſit anno cIↃIↃCLIII Caſſellis Ludouicus Carolus Eberhartus Reinhartus de Laehrbach, adoleſcens palmitis medii vltimus, et quaeſtio recurrit de debitis proauitis, a patre diſſolutis. Vt itaque rite procedamus viſio quaeuis ſeorſim conſideranda venit. Debita, quae ipſe vaſallus conflauit, poſteaque exſtinxit; de illis repetendis fruſtra cogitant heredes allodii. I

Secunda viſio eſt, ſi vaſallus feuda, conſenſu domini atque adgnatorum oppignerata, ſuo aere redemit; nihil inde repetit allodii heres, NIC. CHRISTOPH. L.B. DE LYNKER *decis.* 1073, illuſtris HELLFELD *de herede allodiali debita feudalia, a vaſallo ſoluta, repetente* §. 3. II

Tertia eſt inſpectio de debito, quod ipſe vaſallus haut contraxit. Et heres in allodio debitoris eſt, vel non. Si ſolus eſt heres pariter allodialis, nihil repetetunt eius heredes allodii. III

Fac autem, vt habeas quartam ſpeciem, complures eſſe ſimul debitoris primi heredes allodiales, et quiuis partem ſuam fert, nec heredes expunctum repetunt debitum. IIII

Finge contra, viſionem quintam: quinque nempe V.

pe filios reliquiſſe primum debitorem. Vnus, data ceteris pecuniae ſumma, feudum indipiſcitur, ac diſſoluit aes patris alienum. Moritur relictis tantum filiabus. Feudum cedit fratribus defuncti. Ab his filiae recte poſtulant, ſolutum. An vero integram iure deſiderent ſummam? VI quae eſt inſpectio ſexta, de hac non vna eſt omnium ſententia. Perilluſtris ESAIAS FRIDER. PVFENDORF t. I *obs.* CCXLII p. 589 ſq. et illuſtris HELLFELD exiſtimant filias, deducta rata portione, quam pater illarum debuiſſet exſoluere, reliqua poſcere a patruis, feudi ſucceſſoribus, arg. II *feudor.* tit. 28 cap. *ſi vaſallus.* His quidem obſtare videtur, quod defunctus a fratribus ſuis reliquas feudi portiones vna cum debitis, illi inhaerentibus, emerit; adeoque filiae eius nihil queant repetere. At vero hic ſpecies cuiusdam quaſi apanagii adeſt, nec vera emtio, multo minus cum debitis venditio hic adparet. Pertractauit etiam anno CIↃIↃCCXLI hoc problema generoſiſſimus BENEDICTVS BREMER: „ num debita feu- „ dalia a vaſallo ſoluta heres allodii a ſucceſſore in feudo „ repetere queat? “ Ego, ſi quid video, ſic autuma- I rem: aut vaſallus ſponte ſoluit debitum feudale, nec, diſſoluto aere alieno, declarauit adgnatis, ſe illorum negotia geſſiſſe, nihil repetent heredes allodii poſt XXX annos, a III ſolutionis die numeratos. Intra hoc tempus ſi repetant heredes, ego non perſpicio; cur non! Nec animus donandi praeſumitur. Nec officit factum contrarium. Si enim circumſpicio animo rem, et adcurata mentis trutina examino; non- III dum conficit negotium facta ſolutio; quia eo recidit quaeſtio: num negotiorum geſtor, qui, nondum elapſis XXX annis, haut intendit actionem iis, quorum geſſit negotia, ius agendi amiſerit? Id quod ego vix auſim adfirmare, niſi vellem

hallu-

hallucinari. Aut iudicis ſententia ſoluere debitum credi- II
tori iuſſus eſt vaſallus; et in mundo eſt filiabus repetitio ſoluti.

LXXXVI DE SVMTIBVS AEDIFICATORIIS ET TIGNO E FVNDO FEODALI ADVECTO.

Pretium praeſens aedificii exſtructi recuperat heres allodii. Modum aeſtimandi illius docet protocolum in cauſſa Hohenhorſtiana, quod cum rei forenſis ſtudioſis communicauit PRAESES p. 398 ſqq. des vnterrichtes von abfaſſung der vrthel. Probant, quae dixi, II feudor. 28 §. *ſi vaſallus*, GABRIEL SCHWEDER *de meliorationibus feudi* cap. IIII §. 1 p. 175 vol. I *diſſertat.* Iam ad ſpeciem quamdam. Patruus feudi ſucceſſoris Gottfridus de L. aedificium exſtruxit, id quod perfecit huius filius, ſucceſſoris feodalis patruelis. Hic iuris eſt, vt ſucceſſor feodi praeſens pretium reſtituat ſororibus vltimi defuncti Ludouici Eberharti, PRAESIDIS rechtsgelarheit der Teutſchen edente illuſtri HOFMANNO t. II p. 197. Quod ad tignum attinet, et materiam, e qua fuit aedificatum, licet haec fuerit e praedio feudali deſumta, in numero feudi fructuum ponitur, atque heredi allodii refunditur pretium. In cauſſa Hohenhorſtiana ob lapides murosque, in controuerſia vero Laehrbachiana propter arbores, in ſilua feodali caeſas, inter ſe diſputauerunt partes litigantes. Si audias SCHWEDERVM l. d. §. 8 p. 182 et SCHRADERVM II partis VIIII ſect. II num. 37 p. 414 itemque HEINR. ROSENTALL l. d. cap. X concl. 45 p. 222 t. II; ſucceſſor feudi illam materiem reſecat de iis, quae reſtituere illum oportet heredi allodii. Quoniam vero illi boni viri de ſilua loquuntur, a vaſallo propter aedi-

aedificationem nimium exciſa; ego autem de ſaltu, grandibus tecto arboribus loquor, deque vaſallo, inſtar boni patrisfamilias, ligna caedente, ſucceſſori feudi nulla inde ſpes refulget; ſed illum oportet aedificii praeſens reſtituere pretium. Deſtructo autem aedificio et nouo condito, materiae aeſtimatio heredi eius cedit, qui illud exſtruxit, PRAESES l. d. t. II p. 201 num. 92 p. 201. Hohenhorſtius murum ab imo ſubruerat. Ideo pretium materiae heredi exſtruentis refundebatur.

LXXXVII IMPENDIA EXVSTI VEL DEVASTATI CASTRI AEDIFICIIVE FEODALIS.

Exſtincta gens W. inueſtita erat caſtro W.; ſed flamma illud abſumſerat. W. gens reaedificauerat caſtrum illud. Vltimi familiae ſoror impenſas aedificatorias poſtulabat a feudi ſucceſſore. Iam vero manifeſtum eſt, ius vaſalli, aedibus clientelaribus, aut dirutis aut collapſis aut igni concrematis, dominiumque vtile viuere in area, IO. HEINR. KLOTZ *de feudo aedificii* §. XXIII p. 40 ſq. Vtrum vero metiamur impendia reaedificationis modulo vſusfructus Romani? Et vaſallus erit immunis repetetque impenſas; quoniam vſufructarius haut fert magnas refectionis impenſas, teſte IO. HEINR. DE BERGER p. 324 *oeconomiae iuris.* Sin vero dicas, damnum ſentire dominum, vaſallum autem eſſe dominum vtilem, adeoque longe diſtare ab vſufructuario; dogma de vſufructu vix eſt conſentaneum cum feudo aedificii.

LXXXVIII IMPENSAE MVRI EXSTRVENDI QVO HORTVM CONSEPIRET VASALLVS.

Ne lepores copiosi corticibus spolient arbusculas, neque grex armentorum incolarum vici haud parui, cuius actus quotidianus iuxta hortum vasalli tendit ad pascuum, noceat, quum pecudes facile perrumpunt sepem aut ex agresti ligno factam, aut palis statis, aut crebris virgultis implicatam, aut virgeam, aut palis latis perforatis et per ea foramina tractis longuriis fere binis vel ternis, aut palorum defixorum ordo munit hortum, aut illum claudunt asseres, in laminas desecti, et in formam tenuem adparati; opus est muro. Nam hi modi, lignis hortum circumsepiendi, pugnant cum re oeconomica siluestri, quippe quae, siluae parcere ciues, iubet, hortosque muniri sepe viua vult, prout praecipiunt constitutiones principum, a PHILIPPO HELFR. KREBS *de ligno et lapide* p. 232 sq. P. I laudatae, aut muro p. 172 sq. P. II HEINR. GVIL. DOEBEL. jaeger - practica P. III p. 88 sq. Quid vero, si neget feudi successor, impensas mille tahlerorum fuisse necessarias vtilesue, simileque, inquit, hoc opus est ei, qui scopas cinxerat aureis annulis, vel suem collari ornauerat argenteo. Silent ii de muro, qui de re hortensi verbose sunt commentati. Aduersus aquilonis corique inclementiam, quam horrent arboreta, quae temporis apricitatem desiderant, locumque meridiem spectantem, vt sunt arbores Persicae, citri, mali aureolae, et Armeniacae, PHIL. MILLERI Englisches garten-buch t. II p. 13, conducit murus. Nec actus gregis quotidianus vix, et plane non permittit sepem viuam, neque leporum insidiae, neque dorcadum capreolorumque saltus in tuto collocant arbores, brassicam capitatam crispamque et olera. Ne dicam sudum aeque ac caeli inclementiam

tiam sepimenta structilia lignea perdere, vt breuiore sint tempore vetustatis impatientia. Iam ligni pretium fabrique lignarii mercedem cogita. Quapropter V. C. CHRISTIAN. REICHART p. 76 t. I der einleitung in den garten-und acker-bau murum, caementis ac calce formatum, commendat hortorum cultoribus, partim ob ornatum, partim contra furum, gallinarum, ferarumque iniurias, partim quia durat ad longinquum et paene tempus immensum. Praeterea loci situs non suadebat sepem eam, cuius ligno structili columnae inseruiunt lapideae, quam laudauit auctor vol. VI p. 690 der oeconomischen nachrichten, Lipsiae 1754, 8.

LXXXVIIII SILVA PARTIM FEODALIS PARTIM ALLODIALIS. QVAE PARS AVTEM IGNORATVR.

Saltus quidam spatiosus procerisque et in eximiam altitudinem editis arboribus vmbrosus, glandisque quercinae atque fageae plenus, haut dubie partim ad allodium partim ad feudum pertinet; siquidem pars eius per nuptias ad feudi possessores deuenit. Difficilis aestimatio se exserit. Egerunt de hoc argumento et HEINR. GVIL. DOEBEL vol. VIIII der oeconomischen nachrichten p. 190-204 atque R. C. de B. ibidem vol. X p. 511-519. Ego considerarem primum soli qualitatem, deinde situm, porro ligni vendendi occasionem ac pretium, tum expenderem: num silua sit glandaria i. e. quercetum? aut fagea? aut abiegna? aut e variis arboribus mixta? aut frutectosa? aut betulis, populisque ac cornis consita? aut salicto intermista? Postea, quae PRAESES docuit P. V. der Marburgischen beitraege p. 55 sqq. huc faciunt. Demum his perpensis aestimationem inirem.

XC

XC VENDITAE XXXI GRANDES QVERCVS AD MATERIAM NAVALEM.

Batauo cuidam, exercenti negotiationem lignariam, vendiderat defunctus vasallus XXXI quercus, ad nauem aedificandam idoneas. Pro corporum numero pretium singularum erat statutum, sed venditor nondum adnumerauerat corpora illarum, nec siluestri notauerat illas signo, nec ceciderat emtor arbores. Hinc per obitum vasalli cum fundo transierant in successoris feudalis vtile dominium; in primis quum e Caii mente l. 35 §. 5 D. *de contrab. emt.* nondum perfecta esset emtio; ad haec filiae repugnat omissa signatio, quae in rebus non fungibilibus est species symbolicae traditionis, l. 14 §. 1 D. *de peric. et comm. rei vend.*, IO. GOTTFR. SCHAVMBVRG *de traditione symbolica* cap. II §. 12 p. 19.

XCI AEDIFICATIO HORTI VSVS EGREGII.

H. C. S. de S. hortum, multarum arborum vmbra et proceritate amoenum, proximumque domui suae, aedificauit. Tractus, qui e belli tricennalis calamitatibus vastescebat, quum in dumetum ac sambucetum degenerauisset et lolium vrticamque huc vsque produxisset. Vastitatis huius fines contingebant colles arboribus vacui, molliter tamen et clementer adsurgentes. Hos solo reliquo coaequauit, vepres ac fruteta, quae siluescebant, radicitus vna cum zizaniis exstirpauit et pretii ingentis pomarium plantauit et propria manu seuit multas arbores, magnitudine fructuum exuberantes. Cultura itaque hunc tractum meliorem fecit vasallus; ideo allodii heredi successor feudi ad assem reddet impendium; in primis quum in vrbe vicina hi fructus hortenses quotidie pretio iusto queunt vendi.

XCII SEPVLCRETI REPARATIO CVI DAMNVM INCENDIO TEMPLI EST FACTVM.

Oppidum K. incendio conflagrauit. Templum simul arsit et ad cineres rediit. In illo locus est concameratus, quem sepulcro adsignauit gens equestris L. Vno hoc tumulo conteguntur maiores et heredum allodii et successoris feodi. Reconcinnauit illud monumentum, quod vitium fecerat, pater vltimi defuncti vasalli. Negat successor, se refectionis impendia redditurum esse. Pro successore sequentia facere videntur: Romano-catholicus successor non communicat cum euangelico viuo. Ex praescripto igitur Leonis, episcopi Romani, qui scripsit anno CCCCXLIII, cum illo non communicat mortuus; in primis quum Vrbanus II pontifex anno cIↃXCV idem inculcauit praeceptum, perhibentibus GRATIANO can. 2 et 3 caussa 24 quaest. 2, et, qui de hoc argumento ex instituto egit, IVSTO HENNING. BOEHMERO t. II *exercitationum* ad π. p. 1054 sqq. Accedit ipsum Paulli apostoli iussum ad Tit. III, 10 sq., quo vult diuinus auctor, vt haereticum hominem declines, sciens, illum esse peruersum, et ita peccare, vt ipse a se ipso damnetur. Hominem, inquam, qui non solum contentioni studet, sed etiam peruersa doctrina Christianorum coetui esse potest fraudi, quique pristinam mentem in peius mutauit, et a vero ad falsum ita deflexit, vt nulla emendationis spes superfit, IO. CHRISTOPH. WOLF in *curis philologicis ad X posterior. epistolas Paulli* p. 572 sq., in primis vir summe reuerendus IO. HERM. BENNER *de haeretico iussu Paulli excludendo* p. 21 sqq. Vti sane, ais, hoc sepulcro nequit successor. Quis quaeso! reddet impensas pro re neque sibi necessaria, neque vtili, neque voluptuaria, neque deli-

delicata? Quem fugit §. 1 bullae istius, quae vocatur coenae, et incipit: pastoralis Romani pontificis vigilantia - -? Quem latet, pontificem euangelicos quotannis e sacra communitate exterminare, et ipso Iouis die in hebdomade sancta illos anathemate percutere, ac pestiferis opinionibus corruptos censere? Quis nescit, acriter atque contente obseruari istam bullam in Germaniae prouinciis, in quibus Romano-catholica fides viget, docente VITO PICHLERO, societati Iesu adscripto, dum viueret, *iuris canonici* lib. V tit. 39 num. 16 p. 408, si quosdam libros tantum exceperis, PAVLLVS LAYMANN, celebris sodalis, a Iesu nominati ordinis, *theologiae moralis* lib. II tract. I cap. 15 num. 4 p. 149? Ne dicam de legato Magnae Brittanniae regis Onslow Burish, qui anno 1758 Monachii diem obierat supremum, et Augustam Vindelicorum transuectus erat, vt ibi sepulturae locum nanciscereturr. Quis cap. 12 X de *sepulturis* ignorat? Cui incognita sunt, quae SALOMO DEYLING *prudentiae pastoralis* P. III cap. X §. 11 p. 652 et IO. GEORG. PERTSCH cap. XIII §. 19 p. 758 vom rechte des kirchen-bannes atque NICOL. HIERONYM. GVNDLING p. 96 der satyrischen schriften memoriae prodiderunt? Verum enim vero pacificationis Osnabrugensis tabulae art. V §. 35 Augustanae confessioni addictis ius sepulturae in coemeteriis Romano-catholicorum et his in illorum sepulcretis largiuntur; deinde ipsa bulla Martini V, qui ecclesiae Romanae ab anno CIↃCCCCXVII vsque ad annum CIↃ CCCCXXXI praefuit, excommunicatos toleratos siue non vitandos sepultura ecclesiastica priuari, negauit, publicosque excepit. Quapropter probati iuris ecclesiastici interpretes e. g. FRANCISCVS SCHMALZGRVEBER, adscriptus familiae,

miliae, quam Ignatius Loiola instituit, tit. XXVIII §. 5 num. 68 p. 145 vol. IIII *iur. eccl.*, VITVS PICHLER l. d. et ICtus Viennensis IOSEPH. GRENECK *examinis iur. canon.* p. 664 permittunt mutuum ius sepulturae. Hinc feudi successor tuto ibi requiescere poterit demortuus. Accedit, eiusmodi sepulcra fundo adhaerere nec ab eo separari, prout decisum fuit in caussa Io. Adolphi de V. aduersus H. zu G. probauitque GOTTFR. LVDOV. MENCKEN de *iure sepulcrorum familiarium* §. 2 p. 5.

XCIII PALVSTRE PRATVM IN PISCINAM MVTATVM. IN DETERIVS MVTATI FEVDI EXCEPTIO.

Vasallus suscitauit atque elicuit aquas, vt piscinam e prato paludoso faceret, quo in aqua dulci clausos haberet pisces. Iure suo vsus est vasallus, immutandi fundi faciem. Loco foeni, quod aut vim stramenti obtinebat, aut erat asperrimum aut plane inutile, per quoduis triennium percipit e piscium emolumento longe maius commodum, quam sensisset e foeno. Fingas enim, prati iugerum ferre fructus sex tahlerorum; e contrario piscinae iugerum proferet emolumentum piscarium XII aut XV numorum vncialium. Rationes lucri piscarii subduxit das allgemeine oeconomische lexicon, quod Lipsiae 1751 4t. prodiit, p. 488 sqq. t. III, pretiumque foeni piscium inter se comparauerunt die oeconomischen nachrichten p. 202 sqq. t. VI Lipsiae 1754, 8. En praedium haut dubie melius!

Successor contra queri posse videtur: defunctum impendisse laborem et sumtum in casum incertum; adeoque pratum mutauisse in deterius, in primis quum vn-

gulae

gulae furaces miluorum, e vicina silua aduolantium, piscinam redderent vacuam; deinde impensas superare fructus; hinc illas non reddi a successore; tum prata coli, deriuando humorem in collicias, et fossas inciles habendo plures, quae limosam aquam ducant ad radicem. Postea pratorum copiam praedio maxime conducere, vt stercoratione terram refoueamus. Sed quis non videt, hic latere meros obtentus et colores. Facile confutabunt successorem testes oculares, oeconomiae periti, pratum esse vsus nullius. Miluorum praedae auertuntur, si ripa piscinae muniatur et alnis et salicibus, vt sub harum vmbra eo confugientes pisces, quamprimum milui vident insidias, tuti sint; id quod natura docuit animalia cuncta, vim hostium eludere. Ceterum quae vasalli facto in feudo deterioris fiunt sortis, de pretio feodi aliquid minuunt; ideo heredes allodii ex mutatione huiusmodi frustra quidquam sperant.

Vtrum vero controuersia de feodo, in deterius culpa vasalli sublapso, ad iudicium pertineat ordinarium? an vero ad clientelare? inter Treuirensem ac vasallos, et Palatinum clientesque suos, valde disceptatum fuit, enarrante L. B. DE SENCKENBERG cap. V de *euocationibus* §. 3 sq. p. 1452 sq., qui hanc quaestionem negat, sequutus SAM. LVCIVM im berichte vom adel in Teutschlande p. 239-245. Regusta crebro, si placet, PRAESIDIS *opusc. de iurisd. curiar. clientel.*

XCIIII SVMTVS PRAEDII FEODALIS FINIBVS SVIS DESCRIPTI.

Vt cuiusque agri, prati et siluae fines essent manerentque integri, praesertim quum agri clientelares rusticorum vici illius iacerent intermisti, nec manifestum esset: quinam

quinam praedio equestri confines sint atque continentes; operam dedit vasallus, vt geometres quidam totius agri feudalis iniret mensuras, permensamque decempeda magnitudinem adcurate conscriberet, et cuiusque agri, prati siluaeque pingeret ichnographiam, limitesque, et agro propinquos simul notaret possessores.

Negauit successor feudi, se impensas redditurum. Caussam detrectationis non addidit. Fortassis formam legis 4 pr. D. de *censibus* vix obseruatam existimat, atque, vtut recte se haberet illa, superuacuam tamen fuisse hanc defuncti curam, quia absportare agros ac prata nemo posset. Forsitan desiderat principis auctoritatem, quae per eos, quibus negotium mandare solet, suppletur. Egerunt de hoc requisito finium priuatorum NICOL. MYLER AB EHRENBACH cap. XIIII §. 16 p. 247 *metrologiae*, et IO. IOACH. MÜLLER de *catastris* sub praesidio Lynkeriano cap. II §. 16 p. 19 sqq. quod ad censum attinet, itemque AHASVER. FRITSCH de *districtu vniuersitatis* t. II *opusculor.* p. 114 sq., in primis IO. RVDOLPH. ENGAV de *librorum*, grenzbücher cet. *forma* §. 5 et IVL. BERNHART. DE ROHR p. 462 des haushaltungs-rechtes.

At sufficit in rebus huiusmodi, adfuisse limitatores vici iuratos, atque confines. Principis enim hic nihil interest, vtrum rusticus de sulco pedali pendat tributum? an vero vasallus soluat collationem? num vasallus de lira horti, quam a rustico adquisiuit, vel de porca agri pratiue, quam fuit indeptus rusticanus, tributa nanciscatur princeps? Hinc recte monet PHIL. HELFR. KREBS de *ligno et lapide* P. II p. 186 §. 11 hic non opus esse magistratus auctoritate. Loquitur enim IO. IODOC. BECK P. II de *iure limitum* p. 5 obs, 5 de caussa limitum litigiosa et in iudicio disceptanda,

ptanda, in qua tamen iudicem non desiderat R. I. 1654 §. 51. Interdum augusta Imp. Camera recipit priuatas litigantium de finibus ichnographias, IO. NIC. HERT *de inspectione oculari* §. 27 et RÜTGER RVLANT *de commissariis* P. II lib. III cap. 2 num. 12 p. 81. Alia igitur est inspectio ocularis, veteribus vsitata, de qua R. I. 1654 §. 51 agit, IO. BRVNNEMANN de *processu fori* cap. XXII num. 11 p. 223, alia Saxonica et recentioris aeui, de qua LÜDER MENCKEN in *tractat. synopt. processus* tit. XXVIII et V. C. FRIDER. GVIL. TAFINGER *instit. iurispr. cameralis* §. 843 p. 720 dixerunt.

Quoniam vero hic tantum sermo est de priuata descriptione fundi, quam rei oeconomicae periti necessariam ducunt, vt puta IO. GEORG. LEOPOLD p. 774 der einleitung zur land-wirtschaft, IO. HEINR. GOTTL. DE IVSTI P. I der staats-wirtschaft p. 421, GOTTFR. AVG. HOFMANNI klugheit haus zu halten P. I p. 139, SIM. PET. GASSERI einleitung zu den oecon. wissenschaften p. 188, die Leipz. sammlungen von oecon. sachen P. CXVII p. 920 et P. LVIII p. 838, DE ROHR haus-wirtsch. buches p. 730, oeconom. nachrichten p. 384 vol. X. Hos sumtus itaque successor feodi reddere damnas esto!

XCV IMPENDIA TEMPLI REAEDIFICANDI OB DECIMAS FEODALES.

Laehrbachia gens a comitibus de Solms feudi iure tenet decimarum Allendorfensium partem in satrapia Ameneburgica. Vult vicariatus Moguntiacus, vt Laehrbachii et capitulum S. Ioannis Ameneburgicum, qui decimis fruuntur, impensas noui templi exstruendi ita ferant, vt nauem templi struant decimatores, prout loquuntur acta, quorum epitomen dedit PRAESES in den anfangs-gründen des gem. und Reichs-processes tit.

CCCXXX p. 943-948. Turrim enim excitat vniuersitas vici suo sumtu, ex consuetudine Moguntiaca, perill. L. B. DE CRAMER P. VII der Wezlarischen neben-stunden p. 103; nisi turris, quae continet aes campanum, super nauem templi sit educta. Nam hoc casu habetur nauis accessorium. Sequestratio decimarum Moguntiaca et sententia coegerunt cunctos agnatos Laehrbachios ideo Romam adpellare. Negat interea feodi successor impensarum restitutionem. Ius ecclesiasticum pontificale recentissimum siue concilium Tridentinum sessione XXI cap. 7 de *reform.* hoc onus inter alia imposuit decimatori. At cuiusque loci consuetudo vtramque hic facit paginam, Ambiguus vocis decimarum significatus, item nonarum, multos fallit, qui illas saepissime census vel pensitationes esse, ignorant. Obseruaui quidem e kapitulari Pipini regis anno IↃCCLVI col. 178, decimas et nonas clericis dari oportere. Firmat et id Caroli M. kap. anno IↃCCXCIIII scriptum col. 267 t. I edit. Baluzianae, quo iterat ille praeceptum anno IↃCCLXXVIIII col. 197 datum, vt ecclesiis persoluantur nonae et decimae, quas Imperator Ludouicus II anno IↃCCCLXVII ita explicuit t. II col. 362: vt nonae ac decimae de annona, legumine, vino, foeno, nutrimentis et omnis generis animalibus dentur. Iussum hoc regium per kapitularia est frequentissimum. Lege V. A. ACHAT. L. C. SCHMIDII *diss. de nonis* sect. I §. 8 sqq. At Germanus, veterum institutorum tenacissimus, morem seruauit, quo dominus frumenti aut pecoris aut vestis censum iniungebat, narrante c. TACITO de M. G. cap. XXV. Vbi nouem mergites numerauerant, decimam praestabant domino. Quam pensitationem vocabant nonam. Vbi autem decem mergites numerando percensebant, ac tollebant vndecimam, haec pensitatio vocabatur decima, der dehtz. Sic praepositura, diuo Petro prope Ful-

Fuldam dicata, mergitem vndecimam in campo ingenti et vberi Melbacensi Weterrauico exegit, in cuius iura succesſerunt quidam Schenckii de Schweinsberg; parochus vero triceſimam redigit mergitem ex agris, qui immunes ſunt ab vndecima. In vicina ſatrapia Wetterana Haſſiaca praeter decumas agri domino vel principi censum frumentarium pendunt agri, quem moeddum dicunt. Conſideranti agros in vicinia Seelheimenſi, quos a S. Bonifacio Fatz-aecker vocant; a decumis immunes, atque trutinanti litem de Thuringiae decimis, quam verboſe expoſuit IO. MAVRICIVS GVDENVS lib. I *hiſtor. Erfurt.* p. 143 ſqq. ac regionem Nider-Aulenſem in Hersfeldenſi prouincia ſpectanti, etiamnum a decimis liberam; mihi venit in mentem, clericos quidem tentauiſſe decimarum exactionem, ſed non vbique voti compotes eſſe factos. Accedit denominatio decimarum ſalicarum vel dominicalium, quarum meminit Imp. Arnulfus anno IↃCCCXCIII p. 231 *hiſtor. Treuir. diplomat.* IO. NIC. AB HONTHEIM t. I, quae opinationem meam ſuffulcit. Vno verbo: e tabularum fide litterarumque memoria ſatis patet, laicorum decumas vſus et obſeruantiae eſſe, ſed clericorum decimas diſplicuiſſe toti orienti, hodieque decumas ignoranti, Thuringis, Polonis Daniſque. Etenim Otgarius Moguntiacus antiſtes iam fruſtra tentauit decimarum exactionem a Thuringis anno IↃCCCL. Heinrico IIII imperante Sigefridus I Mog. infeliciter exegit decimas, a Caeſare inſtigatus; ſed Fuldenſis et Hersfeldenſis abbates ſe cum Thuringis opponunt decimationi; cedunt tamen aſtui, et illas ſe praeſtituros promittunt; reſcindunt vero promiſſa et fugant Sigefridum I, decimatorem. Suſcitat anno cIↃCXXIII Adelbertus antiſtes Moguntiacus odioſam decimarum exactionem, et agros Thuringicos facit decumanos. Inde venit, vt hodieque archiepiſcopales illi agri, ſolusque elector in Thuringia

ſoluant decimas. Thuringi autem praeſulis ſui exemplum ſequi renuunt, et arma corripiunt, morituri potius, quam pendere decimas. Renuntiat Moguntiacus ille Adelbertus antiſtes iuri decimandi pro ſe poſterisque. Nec ſucceſſores praeſules, atrocitate euentorum territi, decimas vmquam exegerunt, GVDENVS p. 146. Brunſuicenſes duces Mühlhuſam ciuitatem Imperii inueſtiunt: mit dem dezmas zu Grabe - - und dem ganzen dezmas zu Salfeld, teſte illuſtri SCHEIDT p. 401 der anmerkungen über das Br. Lüneburgiſche ſtaats-recht, vbi addit: der decem beſtehet in einem jährlichen zinſe, da ein ieder einwohner von einer hufe landes 5 metzen gerſte entrichtet. Igitur decimae clericorum ſunt extraordinariae, laicorum vero ordinariae. Quilibet itaque perſpicit, infirmum et caducum eſſe argumentum: fruitur aliquis decimis: ergo obligatus eſt ad templi reſtaurationem! Potius hic conſuetudo eſt inueſtiganda. Et quum vaſallum defunctum oporteret cedere vi magiſtratus eccleſiaſtici, atque adgnati *in hanc litem aduerſus Allendorfienſes conſenſiſſent*, prono inde fluit alueo: ſucceſſorem feodi penſare debere impenſas ſolutione pecuniae, in ſumtus aedificatorios erogatas.

XCVI ARBORVM ET SALICVM COPIA IN FVNDO FEODALI ET RELIQVA QVIBVS FEVDVM REDDITVR MELIVS.

In controuerſia Kettenburgica mali plantatae, melapia, piri, aliaeque arbores pomarii ab heredibus allodii ita petebantur, vt illarum aeſtimatio exſolueretur. Succeſſor in feudo Sch..o permittebat heredibus allodii ſucciſionem ſalicum excelſarum et patulis ramis diffuſarum. Lis Sch -- giana de vinea quadam inter alia agebatur, quam ſucceſſor, feudi fructus deuorare ſumtu, exiſtimabat, quoniam impenſas amplisſimas poſceret. Aeſtimantur illae arbores ac vinea. Pretia ſuperioris ſaeculi enumerauit PHIL. HELFR. KREBS de *ligno et lapide* p. 87 ſq. Cetera, quibus feudum melius

fecit

fecit vasallus, vulgo meliorationes, expositit GE. FRANZKIVS de *laudemiis* cap. XV p. 256 sqq., idemque argumentum tractauit GABR. SCHWEDER.

EPIMETRA.

XCVII Heinricus comes de Lupfen, landgrauius Stülingae, dynasta Hohenhoewae et Rosneckae anno CIↃIↃLXXXII ἄπαις est mortuus. Feudorum ex promisso Imp. Rudolphi II successor erat Conradus S. R. I. marschallus de Pappenheim. Heredes allodiorum fuere Carolus comes de Zollern, alii. Caesar delegauit quosdam ad separandum. Ioachimo Christophoro dynastae Moersburgi, allodii coheredi, Maximilianus, Conradi filius, exsoluit terna centena millia florenorum, vulgo III tonnas auri. Inter Lichtensteinium et huius cessionarium Fürstenbergicum comitem ac Pappenhemium ob dynastiam H. varia inibantur compromissa. Maximilianus Fürstenbergico pendebat L millia florenorum, IO. DAV. KOEHLERI münzbelustigung P. XI p. 156 sq.

XCVIII Carolus de Reichau cum duobus fratribus, ad euitandam separationem, regi M. Brittanniae electori Brunsuicensi anno 1743 refutauit feudum Wichtringhausen.

XCVIIII Comitia, comecia, grafschaft saepe innuit iurisdictionem, non vero comitatum aliquem, ill. SCHEIDT l.d.p.7.

C Praedia equestria comitatus Hoyae pleraque sunt allodia, ill. SCHEIDT l. d. p. 404 *. Quapropter is, qui qualitate nititur feodali, hanc probare debet.

CI Idem deprehendes in ducatibus Bremensi ac Verdensi, ill. SCHEIDT p. 417.

CII De separatione allodii ac feudi comitum de Hoya loquitur IDEM p. 282.

CIII Separatio territorii oppignerati agebatur inter anstitem Moguntiacum et duces Brunsuicenses ratione ditionis Eichsfeldicae, de qua dixit IDEM p. 89 sqq.

CIIII Ioannes Ditericus de K. feoda sua et allodia nexu fideicommissi deuinxerat anno cIↃIↃCCXXVI. Venibat post eius mortem in mentem filio eius superstiti Carolo Heinrico de K. ac filiae Elisabetae Wilhelminae, item fratri testatoris eiusque filio Ludouico Friderico, nomine tutorio nepotum testatoris, Io. Guilielmi et Friderici Caroli de K., impuberum, anno cIↃIↃCCXXXVIIe medio tollere atque irritum declarare fideicommissum, vt Carolus Heinricus, quem dixi, aes alienum bene multum possit conflare. Sed enim bona eius, quae pater 50000 florenis Franconicis aestimauerat, haut sufficiunt eius nominibus expungendis. Filius eius Maximilianus post fata patris obaerati viuere pariter desiit. Iam coram anxie laborant de vi exstincta fideicommissi efficacia, creditores vene pecunia sua emungantur. Caput rei est de alienatione fideicommissorum licita vel illicita, de qua commentati sunt GOTTL. AD. HEINR. HEYDENREICH Ienae 1737 praeside HERTELIO, qui confutare studuit IO. IOD. BECK *de licita maioratuum et fideicommissorum alienatione*, Altdorfii 1735. CAR. LVD. STIEGLIZ de *fideicommissis familiae ab iis, quorum interest, sublatis*, Lipsiae 1752 ex constitutione noua Saxonica, promulgata anno 1746. tolli posse consensu totius familiae fideicommissum, defendit cum LEYSERO specim. CCCCIII med. 3 p. 987 sq. Iam inter se digladiantur et fideicommissarii et creditores: an feudi ab allodio seiunctioni sit locus? Consulas, velim, ill. HELLFELD. de *iure creditorum allodialium intuitu feudi et concursus feudalis* §. 19 §. 18 sq.

ERRATA.

§. IIII et LXI ratione situs castri et vici Adelmannsfelden sibi non contradicunt. Etenim §. IIII loquitur cum actis Vohensteinianis; §. LXI vero sequitur p. 951 P. III der staats- vnd reise-geographie. Pag. 9 lin. 2 legendum est: ex consilio. ibid. §. XVIIII lin. 2 Darmstadino. P. 13 §. XXVII de Worbis equitem Hohnsteinensem. P. 15 §. XXXI lin. 7 splendidissimo opere. P. 26 lin. 5 erat vidua eius Maria Ioanna. P. 38 lin. 11 Quapropter nec prouocatione. P. 42 §. LXV lin. 5 p. 162 §. 7. P. 44 §. LXVIII lin. 2 dominus feudi? vel actor sit feudi successor? P. 48 lin. penult. Wezlarienses adsessores dubii fuere. P. 52 lin. 12 lapicidinam quasi marmoris subuiridis, quod ad octo pluresque pedes findunt ad postes fenestrarum portarumue siue thyromata. P. 63 §. LXXXVI lin. 15: in numero tamen. P. 75 lin. vlt. hodieque.



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1862674736/phys_0088
DFG

CIIII Ioannes Ditericus de K. feoda ſua et
commiſſi deuinxerat anno cIↃIↃCCXXVI. Ver
tem in mentem filio eius ſuperſtiti Carolo H
Eliſabetae Wilhelminae, item fratri teſtato
uico Friderico, nomine tutorio nepotum
et Friderici Caroli de K., impuberum, a
tollere atque irritum declarare fideico
ricus, quem dixi, aes alienum bene
enim bona eius, quae pater 50000
rat, haut ſufficiunt eius nominibu
ximilianus poſt fata patris obaer
gitant adgnati ſucceſſores de f
ro anxie laborant de vi exſti
ne pecunia ſua emungantur
miſſorum licita vel illicit
HEINR. HEYDENREICH ler
ſtuduit IO. IOD. BECK
natione, Altdorfii 17
liae ab iis, quorum i
ua Saxonica, pro
miliae fideicom
med. 3 p. 987
creditores:
velim, ill.
concurſus

mor-
c filiae
o Ludo-
Guilielmi
VIIIe medio
arolus Hein-
conflare. Sed
nicis aeſtimaue-
. Filius eius Ma-
ter deſiit. Iam co-
icacia, creditores ve-
iſſi haut reuiuiſcente,
de alienatione fideicom-
mentati ſunt GOTTL. AD.
de HERTELIO; qui confutare
um et fideicommiſſorum alie-
TIEGLIZ de *fideicommiſſis fami-*
Lipſ. 1752 ex conſtitutione no-
746. tolli poſſe conſenſu totius fa-
it cum LEYSERO ſpecim. CCCCIII
digladiantur et fideicommiſſarii et
odio ſeiunctioni ſit locus? Conſulas,
re creditorum allodialium intuitu feudi et
s. 18 ſq.

ERRATA.

§. III ...us caſtri et vici Adelmannsfelden ſibi non contradicunt.
...tur cum actis Vohenſteinianis; §. LXI vero ſequitur p. 951
...nd reiſe-geographie. Pag. 9 lin. 2 legendum eſt: ex conſi-
...III lin. 2 Darmſtadino. P. 13 §. XXVII de Worbis equitem
...in. P. 15 §. XXXI lin. 7 ſplendidiſſimo opere. P. 26 lin. 5 erat
...aria Ioanna. P. 38 lin. 11 Quapropter nec prouocatione. P. 42
...§ p. 162 §. 7. P. 44 §. LXVIII lin. 2 dominus feudi? vel actor ſit
...ceſſor? P. 48 lin. penult. Wezlarienſis adſeſſores dubii fuere. P. 52
...apicidinam quaſi marmoris ſubuiridis, quod ad octo pluresque pedes
...nt ad poſtes feneſtrarum portarumue ſiue thyromata. P. 63 §. LXXXVI
...15: in numero tamen. P. 75 lin. vlt. hodieque.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1862674736/phys_0089
DFG